

69-9

69-8

Biblioteca Universitaria
GRANADA

Sala

Estante

Tabla

Número 145

i 11848686

BIBLIOTECA HOSPITAL

Sala: A

Estante: 39

Número: 517



8-9

R. 22814


VAGIENTIS
PVERITIÆ
LVSVS,
seu


CAESARIS FANELLI EX FLORENO
EPIGRAMMATON
PARS PRIMA.



NEAPOLI, Typis Iosephi Roselli. 1685.

Non sine Superiorum Facultate.





Ad Perillustrem Dominum, & Amicum

D. FRANCISCVM ANTONIVM

IACOBINI V.I.D.

*CVI AVTHOR OPVS SVVM
DEDICAT, AC DICAT*

Alloquium



DN Ancipiti, varioque curarum
æstu quammaximè hæsitans fluctuabat animus,
charissime Antoni, cui potius paruas has nugas
a 2 meas,

meas, ac exiles, in quibus Puertiam totam, primamque floridioris Adolescentiæ partem consumpsi, in munus offerrem dicendo, sed ut, & Amicitiam tuam, tuamque Beneuolentiã, quam mutuò multis abhinc annis suscepimus, & adhuc fouemus, in posterum (faciant Superi) conseruaturi, ex eo scilicet cum in Neapolitano Societatis Iesu Collegio, & humaniorum literarum occupationibus puer, & grauioris Philosophiæ exercitationibus vnã cū te adolescens, & altioris Theologiæ disceptationibus prouectior operadarem; & Pietatem tuã, quã & in publico, secretoque Clericorum

sodalitio in eodem Societatis Collegio, & in Incurabilium Xenodochio feruentissimè demonstraui, illic ea, quæ ad rectum Christianæ vitæ tenorem spectant, doctè enucleando; hic ea, quæ ad ægroantium refectionem, quæ animi, quæ corporis pertinent, piè cooperando minimè degenera tua gente, quæ pijsima semper erga proximos fuit, quod vnicè apparet ex antiquissimo quodam Monte erecto in loco vulgaritè nuncupato *Castelsaraceno*, ad hoc, ut quæ de proprio non possent, de alieno nuberent; minimè degenera Ioanne Thoma tuo patre, ac parente, qui & pius erga Deum,

& fidus ergà Augustissimos Au-
striacos ciuiliū dissentionum
temporibus pro ijsdem arma fu-
scepit vsque ad bonorum omniū
iacturam, imò ad sanguinis, vita-
que effusionem, si necessum fuit
fuit; minimè degener à Leonarde
auunculo tuo, & à Lucretia eius-
dem forore, quorum alter quin-
quaginta quinque annos natus
illæso Castitatis lilio, non sinè om-
nium dolore decubuit; altera ve-
rò adeò Pietate exarsit, vt triginta-
trium barbarorum triremium ad-
uentum * in Arcē Imperialem tuā
patriam cum euentu prædixerit
necnon quamplurium Ciuium sub
duro seruitutis iugo captiuitatem,

* anno 1644.

sed

sed tandē à barbaro quodā imma-
nitè oppressa, cum animā ageret,
patientissimè obiit; & Geniū tuū,
qui totus in eo est, vt Musas, ar-
gutosque sales sectetur Poëseos
amicissimus, vt mihi sæpè sæpius
ex tuis laboribus, qui & ingenium
redolent, & eruditionem sapiunt,
non tritam, non vulgarem, patuit,
animaduerti; Tibi vni illas obtuli,
illas dicaui, & meritò id factum
censui; sic enim & Amicitiam nu-
trio, & opus hoc meum non sub
fumosi Vindicis patrocinio, sed
sub pij, probique viri præsidio tu-
tius collocaui, & poeticos hosce
lepores non nisi Poëta perlegerit
euoluendo: nec Arystarcorum,

a 4 den.

dentis, aut Zoilorum latratus timebo; Aquila namque biceps, duplici illam decorante corona, quam familiae tuae Inuictissimus Carolus Quintus bellorum fulmen, ac terror, quia à tuis humanissimè fuerat susceptus, vnà cum pluribus prærogatiuis contribuit, ut noscit Patria, ut testantur Ciues, ut comprobant vetera annalium monumenta, me suis vnguis proteget, & ultra sublimiorem Gloriæ apicem euehet immoriturum: Viue mei memor,
& valeas,

Ad

AD EUNDEM.

Epigramma

*Et Lege, & Musis idem es doctissimus vnus,
Antoni, & patriæ fama, decusque tue:
Clarus prodigijs Antonius emicat; at tu
Præclaro effulges maximus ingenio.*

Ad Eundem.

*Francisci nomen vel te, Francisce decebat;
Nam quidquid quondam fecerat ille, facis:
Instabat patria vasto de monte ruina,
Franciscus ciues protegit, & Patriam:
Rodebant opus hoc tineæ, tibi mittimus illud,
Sic tutum à tineis reddis, & à tumulo.*

Ad Eundem.

*Cur Iacobinus cognomine diceris, & non
Iacobus, quæso dic mihi? nosse velim:
Sed nosco: fuerat Iacobus Apostolus, illo
Tu paulò minor es Religione, Fide.*

Ad Eundem.

*Qui sis, & quantus Musis, & carmine Vates
Hetrusco, & Latio, Patria sola docet:
Arx te progeniuit, qua dicitur Imperialis,
Sic quòd Vatum habeas, indicat, imperium.*

V6.



Varia Amicorum Encomia

seù potiùs

Amæniore Eruditorum Flosculi

*Ad instar ferti simul compacti
Authorem tanquam Vatem
coronaturi.*

AD LECTOREM.

ANtequam vel intima Regum
penetralia, vel remotiores Prin-
cipum recessus quis introspeciat, & per-
lustrat Spectator, in prima palatij fron-
te, sacraeque domus vestibulo plura le-
gere mos est, vel tanquam emerita Elo-

gia,

gia, vel decentia Encomia, vt sic con-
cipiat, quis, & videat, qui sit, & qualis,
qui domum inhabitet Dominus, eique
pro qualitatibus mensura Obsequia con-
tribuat et Virtutibus æqua, et meritis:
sic tu, amicissime Lector, antequam
mei Libelli intimas pagellas euoluas,
plura prælegas, oportet, licet nec eme-
rita, nec me decentia Amicorum exu-
dita Encomiorum obsequia non tan-
quam meæ Poeseos, quæ nulla est, sed
eorum Amicitia testimonio perennia,
et in cœlum immortalura; vel potiùs
tanquam tot amæniore Poetarum flo-
sculi ad instar ferti simul compacti me;
licet immerito, tanquam Vatem coro-
naturi: Legas, et plaudas.



In

IN LAVDEM AVTHORIS:

Floſculus 1.

*Docti carmina volue Martialis,
Docti carmina Cæſaris revolue;
Argutos Epigrammaton lepores,
Sales vipereos, iocosque dulces
Conferas, rogo, Lector, aut putabis
Hunc parem, ſimilemque Martiali,
Aut huic ſimilem, paremque dices
Argutum, lepidumque Martialem.*

Floſculus 2.

*Alcides, Cæſar, pariles meruere triumphos;
A' cunis etenim victor uterque fuit:
Ille manu colubros confregerat, iſte Poëſi
Fortior Inuidia barbara monſtra domat.*

Floſculus 3.

*Iliades taceat mendax, & vana Veruſtas;
Tollat Odiſſeas Fama ſub aſtra minùs:
En maius iam ſurgit opus, quod nobile claudis
Quidquid Odiſſeas implet, & Iliades:*

Flo-

Floſculus 4. N. N.

*Craſus erat, Cæſar, multo ditiffimus auro:
Par Craſo diues diceris, imò magis:
Sed periit, Craſus quod iam poſſederat aurum,
Atque illud poterat quis rapuiſſe manus:
Quæ ſtabilis vinat nullis ſubiecta rapinis,
Carminibus fulget plurima gemma tuis.*

Floſculus 5. N. N.

*Quæ recreant, nugæ ſcribis, luſusque, iocosque
Nunc leuitate puer, nunc grauitate ſenex:
Inſtabilis, Cæſar, tibi cartha, leuiſq; papyrus
Nomen, quod vinat ſacula plura, dabit.*

Floſculus 6. N. N.

*Cæſar es, & meritò; coniungis nomina rebus:
Rex Vatum nobis crederis ingenio.*

Floſculus 7. N. N.

*Et Muſas, luſusque tuos, doctiſſime Cæſar,
Perlegi, nemo doctior eſſe poteſt:
Hinc late celebret Vatem te Fama per Orbem,
Aut par, aut ſuperas carmine Virgilium.*

Flo-

Flosculus 8. N.N.

*Alcida invidit quondam saevissima Inno,
 Id monstrat libri pagina prima tui:
 At nunc, cum scribas doctissima carmina Vates,
 Invidet & tibi, sed saevius invidia:
 At puer Alcides Innonem riserat, illi
 Tu par, & rides, & premis invidiam.*

Flosculus 9. N.N.

*Quod scripsere alij post plurima lustra Poeta
 Exiguo, Caesar, tempore scribis opus:
 Aeternas laudes alij meruere, sed illos
 Ingenio exuperas, laudibus exuperas.*

Flosculus 10. N. N.

*Plus laudis, quam diues aquae Sebethus inundat;
 Carmina, quae scribis, vidit, & intumuit:
 Sincerum rediisse sibi iam credit & illum
 Scribere, quae scribis carmina docta, putat:
 Effigie fleas quamvis, tua fama loquetur
 Quod renouas calamo secula prisca tuo.*

Flo-

Flosculus 11. N. N.

*Dulcia, quae scribis, tua sunt Epigramata, Caesar,
 Exiguo legi terque quaterque iocos:
 Nec stupeo; Alcida puerum te monstrat imago;
 Sparsa refert dulci lacte labella puer.*

Flosculus 12. N. N.

*Prima tibi vestit tenera lanugine vultus,
 Et viget in teneris prima iuventa genis, (sus
 Quod miramur Opus scribis tamèn undiq; plau
 Excipis, hinc resonat Gloria, & inde tua:
 Sed quae non scribes longè maiora, senectus
 Cum tibi fedarit, Caesar amice, comas?*

Flosculus 13. N.N.

*Sunt qui te lacerant, sunt qui tua carmina carpunt,
 Tu tamèn (id monstrat dulcis imago) files:
 O centum celebranda tuis Prudentia! posses
 Vlcersci, singis vulnera nulla pati.*

Flosculus 14. N.N.

*Ore files, paruum monstrat tua dextra libellum,
 Scilicet, & verum est, qui tacet, ille sapit.*

Flo-

Flosculus 15. N.N.

*Parthenope, gaude, redijt tuus Actius, olim
 Qui cecinit nimio carmina sparsa sale :
 Illius cineres propius tua litora claudis
 In gremio, quarè Gloria magna tibi est:
 Vivit adhuc Casar, par est tibi Gloria, utroque
 Vate micas; magnum nomen uterque dedit.*

Flosculus 16. N.N.

*Parthenope Vatum sedes, dulcissima Sedes,
 Heron Genitrix, Aonidumque Dorus,
 Quamplures veteri nutristi atate Poetas,
 In caribus quorum Gloria vivit adhuc,
 Virgilius coluit tua dulcia litora, nec non
 Sincerus parilis carmine Virgilio,
 At nunc dissimula tantorum nomina Vatum,
 Nec laudare velis, nec celebrare velis:
 Perlege, qua Casar modulatur carmina, dices:
 Hic unus Musis vincit utrumque suis.*

Flosculus 17. N. N.

*Post tumulum (serò) consurgit Gloria, dixit
 Qui nimis arguto felle Poeta madet :
 Non tamèn id de te potuit dixisse, videmus
 Quòd vivus multa laude superbus eas.*

V.I.D.

Flosculus 18. N. N.

*Iam par Alcida teneris feruefcis ab annis,
 Armatus calamo Victor es invidia :
 Si puer in cunis facis hac, cum fortior atas
 Adueniet, qua non dignius efficies ?*

Flosculus 19.

*Argutiam aduerte hìc, Lector, non præmium
 quod Authori lepidè inauguramur; ille
 enim paruo olere, nec vitrà ambit,
 contentus est, & ad solum pur-
 puræ nomen erubescit
 quammaximè.*

*Scribis opus, Casar, quod vix scripsere priores
 Nec Vates poterit scribere, si quis erit ?
 Danda foret tantis Musis, tantæque Poese
 Purpura, sed dabitur; debita, & equa tibi est:
 Pastor eris, qui Pistor eras, miracula sunt hac
 Ingenij que tui, iudicij que tui.*



b

Flo-

Flosculus 20. N. N.

O Hominem ! ò prodigium !
O ferreo hoc scribendi seculo
Vatem Musis penè aureum !
Dissimulet posthac Antiquitas
Diuitem Pyrrhi Regis lapillum
Conspicuum, admirandum, eximium,
In quo vno rerum Mater, ac parens Natura
Musas omnes, & Apollinem
Cum Cybaris, cum plectro
(Vt in eum cantu celebraretur in opere)
Affabrè concinnauit ad miraculum:
En nobilius Cesar
In exiguis libri pagellis,
Licet fragilibus, immorituris,
Quidquid habet vel dulcius,
Quidquid habet vel melius
Romanae Poeseos Romana Facundia
(Vt perpetuò vineret vel cinis in tumulo)
Non sine maximo
Totius Orbis stupore,
Nedum solius Parthenopes
Lepide coarctauit ad Hyperbolem:

Hinc

Hinc

Suos Cesares fiescat Roma,
Sed plaudat tamèn Parthenope
Perenni plausu, perenni laude
Vbique Casarem suum;

Nàm

Quantum quantum illi per Orbem latè totum
Et fama, & nominis, & Gloria
Post longum temporis intervallum
Et armis sibi comparauerunt, & gladio,
Hic vnus vel puer in canis
Breui temporis ambitu
Et Musis sibi comparauit, & calamo.

Flosculus 21. N. N.

Ridiculo scribis dulcissima carmina versu,
Et lepidos dulci cum leuitate sales,
Hac animi miranda Tui est Prudentia, Cesar,
Scribis enim leuius, quam tua Vita facit.

¶

Perillustri V. I. D. Abbatis Domini
D. Donati Antonij de Andrea .

Floſculus 22.

*Sunt qui belligeris exercent membra palaſtris,
Et miſcent blandis arma quieta iocis:
Gaudebant Veteres, circenſis tempore ludi,
Curriculo, gaudet pulchra inuenta irochos
Sunt alij, placidis mulcent qui viſcera talis,
Hinc alij gaudent teſſera, & inde pila:
Docte, tuus, Caſar, quàm diſtat ludus ab iſtis:
Hinc ludunt tecum Muſa, & Apollo ſimul:
Vera canis ludo, ludens ſimul utile miſces,
Virtutis, ludo, dogmata multa latent,
Nomina parua tuo Puerorum tolle libello,
Et precor, inſcribas, inſculta geſta Virum,
Tolle, precor, viden, alma cui detur ipſa Poëſis
Conſona, & hinc merito nomina trade ſuo:
Forſitan ignoras, quòd primus Apollinis oris
Hic fulget; Pindi culmine primus honos?
Que poterit, qua lingua viri ſat pingere laudes
Non potis exiguas texere docta melos:
Verſiculis nunc ergò tuis hac nomina tolle;
Das tanto illuſtri ſi tua ſcripta Viro.*

V. I. D.

V. I. D. Dominici Taſſoni

Floſculus 23.

*Quis patet ex pueri vagitu arcana Poëſis
Condi, atque in gemitu carminis eſſe melos?
Fanelli hi tantum manant de mente ſtupores,
Naturas rerum carmina dum variat:
Ergò tanta tuis eſt verſibus inſita Virtus,
Ut rerum ſpecies pendeat arbitrio?*

Ad Lectorem

Quare Cæſar, & non Cæſar ſcripſerit.

Epigr.

*Caſar, non Cæſar debebam ſcribere, COEſar
Sed ſcripſi, nec me carpere dente velis,
Conſultò id factum eſt, Lector chariſſime, mōſtra
COEnoſus quòd ſim carmine, & inſipidus.*

Cui ſic reſpondit Amicus N. N.

*COEſar, non Caſar debebas ſcribere, Vates;
COEleſtis fueras carmine, & ingenio.*

b 3

Ad

Ad Eundem
Quarè edidit pro edit, & edideras pro
ederas in Opere dixerit.

*Edidit, edideras, boletos Claudius, apros
Postume, quòd dixi, Zoile, nè laceres:
Addere debuerã quamplurima grãmata verbo,
Alter, & alter enim longus edendo fuit.*

Dicas igitur, Lector, in Opere Cæsar, non
Cæsar, & non legas in pag. 26. epi-
gram. 75.

*Edideras apros nupèr, sed, Postume, crudos;
Sed legas
Apros edisti nupèr, sed, Postume, crudos:*

Neuè legas ex pag. 154. epig. 449.

*Edidit immeritò boletos Claudius olim:
Sed*

Immeritò quondam boletos Claudius edit:

Proindèque id non errori (consultò enim
fecimus) sed lepori attribuas, rogo.

Ad

Ad Reuerendiss. Dominum
D. FRANCISCVM VERDE
V. I. Sacræq; Theologiæ Professore, &
ac Cathedrę Archiep. Neapolitanę
Vicarium Generalem:


Sub quo Author vtramque Legem,
multis ab hinc annis
edidicit.

*O Vigor, ò Iuris Columna, non vltima Legum
Gloria, Causidicùm Laurea, Vita fori,
Palma hominũ viuus, Frãcisce, sublimis in auras
Erigis æternas fronde virente comas:
Maximus ingenio, plausu quoq; maximus Orbẽ
Attrahis, è calamo pendula Fama tuo est:
Nosceris Occiduis, Eois nosceris oris,
Laus triplici tollit nomen ad astra Tuba:
Palladiæ Tu gentis Honor, Tu Regula morum,
Tu Decus Astreæ nobile: Famã canit:
O Tibi legalis debet Sapientia quantum!
O quantum menti ciuica Iura tua!
An Te dicemus, Francisce, Solona? sed Orbi
Maior ades, Legum crederis esse Pater.*

Ad

AD BLASIVM ALTIMARE
Doctissimum æquè ac prudentissimū virū,
Vtriusque iuris laurea decoratum.

*Qui sis ingenio, & qualis, notissime Blasī,
Et quantum sapias mente, animoque tuo,
Cognomen, quod habes, nobis satis indicat vnū,
Atque vnum satis id comprobat, ac docet id:
Dat Mare cognomen, quo nil est altius, illi
Par animo effulges altus, & ingenio:
Vnda Maris sapida est, tu noscis plurima legum
Dogmata, iura sapias, pragmaticasque sapias;
Oceanum iuxtà gemmas reperimus, & aurum,
In libris legimus gemmea dicta tuis:
Alcides metas præfixit in equore nautis,
Tu metas figis legibus, atque facis.*



Ad

Ad V.I.D. IOSEPHVM VALLETTA
Quòd Causidicus sit, & admirabilem
Bibliothecam, habeat.

*O qui Causidicus pertractas dogmata Iuris,
Parthenopes, Ioseph, Gloria, Fama fori,
Moribus effulges vnus iustissimus, vnus
Ingenio effulges rarior, & calamo:
Mente tibi posset iam cedere Bartolus, illum
Æquiparas, imò legibus exuperas:
Bibliotheca tibi est libris ditissima; quibus
Admiratur opus nobile, & ore stupet;
Plus mirāda tamèn tua mens: nā ditior hæc est:
Bibliotheca docet plurima, plura sapias.*

Ad DIDACVM VALLETTA.


Optimum Iosephi filium.

*Coniugij Iuuenis iunxisti fœdera: coniux
Ducta tibi est vultu pulchra, pudica nimis
Tres natas genuit, Charites quas dicere posses;
Dinitia fuerant, deliciaque domus:
Decubere tamèn bina; nunc vna superstes
Cum puero vinit fratre, diūque, precor:
Plurima dinumerent longævi lustra per annum;
Sint tibi & auxilium, præsidiumque seni:
Sunt varij sexu, mos est tamèn vnus vtrique;
Diligis hæc matrem, diligis ille patrem.*

Ad

Ad ANTONIVM BVLIFON,
Cui suum opus vendendum commiserat.

O qui Sirenem monstras pro stemmate, cantu
Quæq; aliquãdò iuvat, quæq; aliquãdò nocet:
Bibliopola libris diues, notissimus Vrbi,
Antoni, cuius nomen ubique sonat,
Qua tibi commisi, vendas mea carmina, quod si
Efficies, aliud dulce videbis opus:
Quo pretio vendam? sed si fortasè rogabis,
Aspicias quis erit, diues, an ille miser:
Si miser, accipias pretium quodcumq; vel asè;
Si diues, vendas non nisi mille librum.



Ad

Ad Sculptorem suæ imaginis.

Cæsaris argutos molli sub imagine vultus
Exprimis, & Vates viuat ab arte facis,
Mausoli morietur opus, non dulcis imago;
Effigies steterit, secula plura fluant!
Sed quæ pro tanto tribuentur dona labore?
Quis iam laudaris, carmina plura legis:
Sic Sculptor viues, niuet per secula Vates,
Alter àt in carthis, alter in effigie.

Ad Typographum

Quòd prælum propè cœnosam viã habeat.

Hic, ubi stat positum prælū tibi nobile, verū est,
Agnoscis, multo stercore facta via est:
Nunc eo, nunc redeo visurus carmina, quæ tu
Imprimis exiguis carmina scripta notis,
Sæpè luto dolui fierem quòd sordidus, & quòd
Inficeret nostros semita fœda pedes;
Sed tandem angorem posui, tristemq; dolorem,
Et mecum tacitus talia verba dedi:
Virgilij nata est Enni de stercore, eodem
Nunc fato nata è stercore Musa mea est.

De

DE mandato Reuerendissimi Domini Vicarij Generalis Capitularis hoc, quod, *Pueriles Lusus*, ab Authore inscribitur opus, Ego infra scriptus legi, vidi, atq; perlegi: & cum nihil contra Fidem, moresuè repererim; immò nonnullis, venustos inter lepores, quos Martialis more complectitur, quæ tum illam, cum hos excitent, ac iuuare queant, repertis: illud legentibus perutile, perque iucundum iudico, ac proindè publica luce typis dari censeo dignum.

Ego Ioseph de Pace Sacerdos
sæcularis V. I. D.

*Visa dicta relatione imprimatur 16. Martij
1685.*

F. VERDE VIC. GEN. CAP.

ECJ

ECCELLENTISS. SIGNORE.

Antonio Bulifon Libraro di V.E. supplicando l'espone come desidera far stampare vn libro di Epigrammi del Signor D. Cesare Fanelli, supplica V.E. cômetterne la reuisione à chi meglio le parerà, e l'haurà à gratia vt Deus.
Magn. V. I. D. Blasius Altimare videat, & in scriptis referat.

CARRILLO R. SORIA R. MIROBALLUS R.
JACCA R. PROVENZALIS R.
Prouisum per S.E. Neap. die 14. Martij 1685.
Mastellonus.

EXCELLENTISS. DOMINE.

UT Tuis dulcissimis mandatis parerè, legi libenter libellum inscriptum: *Vagientis Pueritiae Lusus*, scilicet *Cæsaris Fanelli ex Floreno Epigrammata*, nihilque in illo inueni aduersum Regali jurisdictioni, sed Poesis professoribus iucundum, ac vtile, cum sit salibus, & lepore plenus, vnde imprimi posse existimo, si Excellentia Tuæ videbitur, cui summam felicitatem precor. 10. Kal. Aprilis M. DC. LXXXV.

Exc. Tuæ

Humillimus Seruus
Blasius Altimarus.

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione seruetur Regia Pragmatica.

CARRILLO R. SORIA R. MIROBALLUS R.
JACCA R. PROVENZALIS R.
Prouisum per S.E. Neap. die 26. Martij 1685.
Mastellonus.

Authoris protestatio .

SI fortè in libello hoc aliquid,
Lector, inuenies, quod Or-
thodoxæ Fidei (quam sanguine fa-
teri tenax mihi mens est) dissonet,
abrogatum sit volumus, & in flā-
mis adustum; licet enim Poesim
iocis exerceamus, aut lusibus; non
tamèn Athei vita sumus, aut mo-
ribus, sed Catholici. Hæc te vole-
bam; Vale.

VAGIENTIS
PVERITIAE
L V S V S,

seù

Cæsaris Fanelli ex Florenno
Epigrammata.



Quòd Domus professa Patrùm Socie-
tatis Iesu magnificentius nobilitetur.

Epigramma.

I.

*Qua noua Pyramidum surgunt miracula Cælo
Proxima? qua moles tollit ad astra Caput?
Quos ego sederea video cernice Colossos?
Quæ patrio crescunt amula templa polo?
Marmora qua miro fulgentia Mausoleo,
Aere & in medio nobile pendet opus?
Hæc Ignatiadum domus est; o parvula tantis
Tecta viris! Cælum par domus una foret.*

A

In

In Collegio Patrùm Societatis,
 cùm atrium fundaretur,
 Et Globus ferreus, & Caput marmo-
 reum repertum est. 2.

*Et GLOBVS, & CAPVT, effossa tellure, resurgūt
 Hic, ubi vestra, Patres, surgit ad astra Domus:
 Ferreus est ille, hoc duro de marmore, utrūque
 Et Globus, atq; Caput magna trophæa notāt:
 Vos Caput esse probat Caput, at Globus indicat,
 Vos Orbis posthàc quis neget esse Caput? (Orbis,*

Ad Ponticum. 3.

*Librorum titulos varias, & Pontice, dicis
 Esse tuos; nimis es, Pontice, ridiculus.*

Herculis Effigies. 4.

*Exprimit Herculeos vultus, quã cernis, imago;
 O quantum labor hic nobilitatis habet!
 Nature metas posuit, nunc creditur Arti
 Alcides metas vel posuisse suas.*

DE

DE CAROLO II.
 Augustissimo Hispaniarum Rege. 5.

*Iuppiter Imperij laxat sua fræna per Orbem,
 Carolus Imperium totius Orbis habet:
 Ille Aquilas jactat gestantes unguibus ignem,
 Ille Aquilas jactat: nobile stemma notat:
 Iuppiter Enceladū domuit, fratresq; Gigantes,
 Ille tuos domitat, Thracia Luna, Canes:
 Comparet aternos amborum fama triumphos,
 Carolus Imperio vel Iove major erit.*

De Mario. 6.

*Duxerat uxorem Marius, pro dote recepit
 (Quis credet?) tussim Coniugis ille sua.*

Maledici Epitaphium. 7.

*Que ruitura vides pendentia marmora, noli
 Credere quòd tempus roserit illa suum:
 Zoilus hìc situs est, homines qui roserat, at nunc
 Incæpit tumuli rodere saxa sui.*

A 2 Ad

Ad Tuccam.

8.

*Parturit ingeniū, parit Os quodcūq; loquamur,
Hinc nos verborūm dicimur esse Patres:
Sed profers Asinum semp̄r tu, Tucca, loquendo,
Hinc Asinum possum dicere, Tucca, paris:
Sed par par generat, posthac quis, Tucca, negabit
Quòd par sis Asino, quem peperisse soles?*

Ad Postumum.


9.

*Optima mensa tibi dat fercula, pessima nobis;
At que non facimus, Postume, furti facis.*

Ad Ponticum.

10.

*Non es Causidicus, verum est; tibi, Pontice, dixi;
Et dixi, Iuris dogmata nulla sapis:
Propterea meritò quereris, sed, Pontice, parcas;
Non es debueram dicere Grammaticus.*



De

De Castore, & Mariana.

11.

*Coniugio Mariana cupit cum Castore iungi,
Castor ait, thalami fœdera nolo tui;
Fata etenim nobis non sunt equalia, sortes
Respuo, disparili conditione sumus:
In quo dissimiles fuerant cognoscere queris?
Illa oculis fuerat debilis, iste manu.*

Ad Ignatium furem.

12.

*Ignis es, Ignati, rapidoque simillimus Igni;
Deorat Ignis edax omnia, at ipse rapis.*

Ad Poggium.

13.

*Qualia, quæ scribo, sint carmina, Poggie, queris;
Num bona, num mala sint, Poggie, sepe rogas:
Sat tibi querenti faciam sic, Poggie, credas:
Optima neue puto, pessima neue puto.*



A 3

Phi-

Philænis tumulus. 14.

*Marmora, quæ paruo tumulo pendentia surgūt,
 Aspicias, hospes; vilia neue puta:
 Illa sinu cineres claudunt, atque ossa Philænis,
 Quæ vultu fuerat grata puella nimis;
 Bissenos annos nondùm numerauerat, illi
 Parca tamèn vitam diripit antè diem:
 Nè pigeat lachrymis igitur decorare sepulchrū,
 Hæc Venerum Risus, deliciæque iacent.*

Homo microcosmos. 15.

(Orbis

*Mundus Homo, at paruus; Mundus sed maximus
 Dicitur; hic vacuum nil habet, ille caput.*

De Paulo Grammatico. 16.

*Grammaticã Paulus multos didicisse per annos
 Dicitur, hanc unam callet, & ille sapit:
 At dandi casum nescit de casibus unum;
 Nil etenim nobis porrigit ille manu.*

Ad

Ad Cæcilianum. 17.

*Ore grauis recitas nobis tua carmina: narras
 Historias pariter, Cæciliane, grauis:
 Et gestu grauis, & verbis grauis esse videris;
 Sed sis febre grauis, Cæciliane, semel.*

Ad Amicum. 18.

*Præbueras laurum tanquàm sis magnus Apollo;
 Sed sis Mæcenas, aurea dona dato.*

Ad Ponticum. 19.

*Mille sales, & mille iocos mihi, Pontice, dicis,
 Et facis iugenuas erubuisse genas:
 Te tamèn excusas quòd non sit, Pontice, Liuor,
 Sed vena est, dictat quæ tibi prompta iocos:
 At quòd me semper ladas, & carmine carpas,
 Non vena est, vinum, Pontice, crede, fuit.*



A 4

Ad

Ad Lælium Leone Poetam. 20.

*Quòd Leo dicaris, Læli, cognomine, miror ;
Non etenim magni facta Leonis habes :
In Cælo facit æstatem Leo feruidus , at tu
In terris hyemem frigidus ore facis .*

Ad Nasutum. 21.

*Nil aliud fueras duplex nisi syllaba, NASVS ;
Vltima sed pariter syllaba, SVS fueras.*

Ad Cæcilianum. 22.

*Officium recitas ? quaris me sæpè , rogasque ,
At dixi quòd non, Cæciliane, stupes :
Propterea quòd officium recitaueris ? inquis ;
Atque iterum quòd ? Cæciliane, rogas :
Scilicet officium, credas, recitauero, quòd
Exequias facient, Cæciliane, tuas .*



Epi-

Epitaphium Euraniij Poetæ. 23.

*Hic iacet Euranius fortunatissima Vasum
Gloria, Musarum Fama, Poësis Amor :
Vixit, & aternos meruit pro carmine plausus,
Et data sunt capiti plurimaserta suo,
Nunc cinis infelix pedibus calcatur, & illi
Sub tumultu nulla est Gloria, nullus Honor :
Virgilio Musis par sis, vel carmine maior,
Extremi mox te funeris hora premet .*

Ad Postumum. 24.

*Carmina, qua scribo, carpi; nec, Pontice, miror;
Carpere enim facile est, scribere difficile.*

De Aufidio, & Aulo. 25.

*Musicus Aufidius cum fabro litigat Aulo :
Causa sub integro Iudice pendet adhuc :
At litem Aufidius perdet, sed vicerit Aulus;
Aufidius testes non habet, Aulus habet.*

Ad

Ad Marianum . 26.

*Prelia Troiugenium quondam tristissima scribo,
 Prelia Troiugenium tu, Mariane, rapis :
 Atria Romulidum Cælo sublimia scribo,
 Atria Romulidum tu, Mariane, rapis :
 Scrinia diuitijs Cræsi pallentia scribo,
 Diuitias Cræsi tu, Mariane, rapis ;
 At nunc Hermogenis laqueum describere capi,
 Quo perijt trabibus pendulus ille suis ,
 Hunc pariter nobis rapias , Mariane, rogamus,
 Et collo nectas vel, Mariane, tuo.*

Ad Paulum . 27.

*Tu veteres nimium laudas quia, Paule , poetas,
 Laudaris tamquam, Paule, poeta nouus.*

Ad Fabianum . 28.

*Nil cuperes aliud liberos nisi scribere ; potum
 Non curas, curas nec, Fabiane, cibum :
 Diræ famæ cruciat tandem tibi guttura, liberos
 Edere sic poteris iam, Fabiane, tuos.*

Ad

Ad Cæcilianum . 29.


*Quid præter solitis dulcissima fercula mensis
 Apposui ? nobis, Cæciliane, rogas :
 Letitiæ tanta causa est hæc unica, verum est,
 Audieram quod cras funere puluis eris .*

Ad Fabianum de Aulo . 30.

*Et barba, & vultu semper stat pallidus Aulus,
 Sed quare ? Vates quod, Fabiane, vocor.*

Ad Ponticum . 31.

*Quisq; sibi vel mille domos, sed Ponticus unus
 In media minimum non habet Vrbe locum :
 Propterea quaritur ; mittit suspiria Cælo,
 Et sua crudeli nomine fata vocat :
 Sed lachrymas deponere tuas ; pia Numina poscam
 Quod tibi vel saltem, Pontice, dent loculum.*



Am-

Amprisiij Epitaphium. 32.

*Hic situs Amprisius puer est, qui viuere sēpēr
Crediderat, serò nouit at illè mori:
Hinc tu, qui tumultū spectas, tua funera discas;
Si cupis aternū viuere, discè mori.*

De Gellio, & Crispo. 33.

*Gellius, & Crispus gaudent simul ire per Urbē:
Hinc cocunt, meritò dicite, Grammatici.*

Ad Marianam. 34.

*Vltima Postumius pulsabat limina Mortis,
Æger ad extremos venerat ille dies:
Heredem scribi tabulis Mariana supremis
Se cupit, agrotum tēque quatēq; rogat:
Quid, Mariana, petis nummos, & prædia, nescis;
Commoda parturiunt luxuriosa Cruces.*



Ad

Ad Postumum Sales. 35.


*Carmina, quæ scribis, nullos habuere lepores,
Et frigent, nobis carmina quæ recitas:
Quos habuere sales cognomina, Postume, labris
Quàm cuperes illos nunc habuisse tuis?*

De Aufidio, & Faustino. 36.

*Dixerat Aufidio Faustinus, viuere dulce est:
Dulcius, Aufidius dixerat, est bibere.*

Ad Ignatium Cerra. 37.

*Nomine masculeo, cognomine diceris idem
Fæmineo, misces vnus vtrumque genus:
Hinc qui diuersi generis vocabula iungis,
Nec mihi grāmaticus, nec literatus homo es.*



Ad

Ad Charinum. 38.


*Nobiscum certas utrùm meliora probentur
Carmina quæ facimus, quæq; Charine, facis:
Ast ego nè possim ulterius contendere, dicam:
Quæ mea sunt, mala sunt, quæ tua sunt, bona
(sunt.*

De Diana puella. 39.

*Tota Diana foret, nisi dispar hoc foret unum,
Tres habuit vultus illa, sed ista duos.*

Ad Tullium. 40.

*Carminibus nullū laudas, tamèn invidus omnes
Ingrato, Tulli, carpere dente soles:
Hinc mihi, sed multa, Tulli, ratione videris
Neve poeta bonus, neve poeta malus.*



Ad

Ad Ponticum. 41.

*Corporibus longus, naso quoq; Pontice, longus,
Longus es eloquio, longus es historijs:
Si scribis, longos versus, & carmina scribis;
Si gaudes, paritèr gaudia longa facis:
Omnia longa tibi si sunt, quis, Pontice, credet
Quòd non ad furtum sit tibi longa manus?*

Ad Postumum. 42.

*Quid statuam simulas immoto corpore? quero,
An statua dignū est, Postume, quidquid agis?*

Ad Harpalum. 43.

*Quòd mea dilaceras linenti carmina morsu,
Quòd mea tartaræo carmina felle replet,
Quòd mea distorto fastidis carmina naso,
Rideo, nec dentes, Harpale, curo tuos.*



De

De Paulo. 44.

*Æger erat, morboq; grauis, me Paulus amavit,
Et voluit semper Paulus habere domi:
At nunc conualuit, sed me fastidit, & odit,
Et voluit numquam Paulus habere domi:
Sic me nè posthac contemnat, Numina votis,
Ægrotet morbo vel grauiore, rogo.*

Ad Eunnium Lazaro. 45.

*Qui tibi cōtribuit cognomina Lazarus, Eunni,
Vlcera debuerat contribuisse sua.*

Ad Lælium. 46.

*Disticha tu scribis, sed nos tetrasticha, Lali,
Ista tamèn carpis dente, sed illa probas:
Non miror, Lali, quòd non tetrasticha laudes,
Hoc miror, tua quòd disticha sola probes.*



De

De Gallo diuite. 47.

*Gallus habet quidquid voluit Pactolus arenis
Aureus, & quidquid claudit Erythra sinu:
Plura tamèn poscit, non est contētus, & aurum,
Quod nimium fuerat, credidit esse parum:
Scilicet humanis finem præfigere rebus,
Difficile est: animus nil putat esse satis.*

Ad Paulum. 48.

*Quid scribā, semper dicis mihi, Paule, fatebor
Crede, tui scribo cornua fœda patris.*

Ad Iulium. 49.

*(Iuli,
Quid Leo? quid Gladius faciunt tibi stemmata,
Vnguibus ille ferox, iētibus iste manax?
Nosco: sed hoc unum vita pro crimine vellem,
Te gladius feriat, te Leo dente voret.*



B

Ad

Ad Cinnam. 50.

*Qua tibi clara domum decorat insignia, nosco,
Et gentilitij stemmata, Cinna, tui:
Dura Columna nitet varijs circumdata flāmis,
Stemmata flāma facit, dura Columna facit:
Scilicet (euentu fiat res clarior, opto)
Vsserit illa domum, fregerit ista Caput.*

Ad Cæcilianum Cannauaccio. 51.

*Cannabis adstringit tibi quæ cognomina, collū
Stringere debuerat, Cæciliane, tuum.*

Ad Sempronium. 52.

*Sub quo sis ortus, Semproni, sedere, poscis
Astrologos, nec non consulis Astronomos:
At Veneris fueras natus sub sidere; nobis
Luxuries monstrat, fæda libido notat.*



Ad

Ad Paulum Oratorem. 53.

*(Ignis
Quod Fulgur, quod Virga fuit, quod feruidus
Antoni nimium lingua beata probas,
Sed Virgā, et fulgur tibi det pro munere, et ignē,
Conueniunt meritis hæc tria, Paule, tuis:
Scilicet exurat tibi viscera fulgur & ignis,
Atque humeros fædo verberare Virga premat.*

Ad Paulinum. 54.

*Et lapidem, & montē cum tu, Pauline, loquaris,
Esse tuum durum debuit eloquium.*

De Marco, & Osca. 55.

*Eccllesia sacras ades, & limina templi
Sacrilagus subijt Marcus, & Osca latro,
Virginis effigiem Marcus pede proterit; Osca
Diripit indigna munera sacra manu:
At dederunt meritas tanto pro crimine pœnas:
Non habet iste manus, non habet ille pedes.*

B 2

Ad

Ad Postumum. 56.

*Prædia plura tibi, fateor, sunt, Postume, surgūt
 Mille tibi in media, quis neget? Vrbe domus:
 Arca tibi claudit sestertia plurima, verum est:
 Vel te pauperior, Postume, Cræsus erat:
 Pulchra tibi coniux veluti Cythereia vultu,
 Pulchra tibi soboles, pulchra nouerca tibi est:
 Sed sint plura licet tibi, Postume, plurima desūt;
 Nam tibi frons non est, Postume, neue pudor.*

Ad Librum suum. 57.

*Nil fueras, vitam tribui: post flebile funus
 Nil eris; sic vitam da mihi, parue liber.*

De Postumio. 58.

*Postumius teneri flammæ descripsit Adonis,
 Et Veneri nimium dulce sacravit opus:
 Non Veneri tamèn ille librum, sacrare marito
 Sed Veneris librum debuit ille suum.*

Ad

Ad Cæcilianum,
 Qui montes facit in stemmate. 59.

*Terrigenæ Cælo montes posuere Gigantes,
 Imperium vellent cum rapuisse Ioui,
 Sed frustra: vires etenim periere; trifurca
 Fulmine collapsa est machina fracta solo:
 Nunc illis securæ foret Victoria, Cælo
 Admoueant montes, Cæciliane, tuos.*

De Paulo. 60.

*Omnia vendiderat populo, sed vendere Paulus
 Vna sue frontis cornua non potuit.*

De Castore, & Paula coniugibus. 61.

*Vna dies luci dederat cum Castore Paulam,
 Vna maritalis iunxit utrumque dies:
 Vna dies geminos fœtus quoque suscipit; Ergo
 Vna dies videat funus utrumque, rogo.*

B 3

Ad

Ad Linum Buonocore. 62.

*Si tua spectamus cognomina, iure fatetur,
 Qui, Line, te dicit cordis habere satis:
 At si spectamus mores, vel iure fatetur
 Qui, Line, te dicit cordis habere nihil.*

Ad Fabianum de Paulo. 63.

*Ægrotat Paulus, si nos, Fabiane, valemus;
 At valet, egroti si, Fabiane, sumus.*

Ad Simplicianum. 64.

*Ridiculis miscet Paulus dictæria verbis,
 Et lepidos lusos narrat, & ille iocos:
 At si me videat, toto pallefcere vultu
 Cernitur, & cessat pessima verba loqui:
 Non ego desineret, vellem, dictæria, vellem
 Desineret vitam, Simpliciane, suam.*



Ad

Ad Potorem innominatum. 65.

*Nescio quæ fuerint tibi nomina: diceris ergò
 Mutius, an Cæsar? Fulvius, an Cato?
 Ex istis nullum par est tibi nomen; at uno hoc
 Incipiant posthæc dicere te Bibulum.*

Augustini tumulus. 66.

*Augustus fuerat viuendo, nomina monstrant:
 Augustus nunc est, marmora parua docent.*

Ad Bythinicum. 67.

*Plura facis, causas agitas, Bythinice, iudex;
 Astrologus populos fata futura doces;
 Grammaticus, Rhetorq; capis, Bythinice, lucrû,
 Grammaticas Artes, Rhetoricasque doces:
 Plura licet facias, verum tamèn hoc facis vnû,
 Astrologusque rapis, Grammaticusque rapis.*



B 4

Ca-

Canis Epitaphium. 68.

*Hic ubi compacto tumulus de marmore surgit,
Et stant de phario parvula saxa iugo,
Ossa Canis, cineresque Canis capit urna, gemeti
Qui fuerat Domino nobile delictum,
At tamèn admisit scelus hoc (nam debuit) unum,
Noluerat Dominum dilacerasse suum.*

Ad Ponticum. 69.

*Sordida quòd scribas qui, Pötice, dixerit errat:
Nil etenim scribis, candida cartha tua est.*

Inuidia de marmore. 70.

*Inuidia fictos de marmore cernite vultus;
Nobilis eximia viuit ab arte labor:
At cur dure scat lapidi par illa, rogatis?
Carmina, qua scribo, vidit, & obriguit.*



Ad

Ad Laurentium furem. 71.

*Non tibi debuerant Laurentis nomina poni,
Sed tibi Laurentis debita pœna foret:
Ille ignem lateri subiectum sentijt; at tu
Subiectum manibus cum ratione meres.*

Ad Paulum. 72.

*Quod facias, nihil est; superest hoc attamèn unū,
Iam te suspendas de trabe, Paule, velim.*

De Soccinna. 73.

*Causidicus fuerat, nunc est Soccinna colonus,
Qui coluit legum dogmata, rura colit:
Rastra tenet, tenuit qui laurea rostra; forenses
Orator causas egit, Arator eget:
Fortuna ne fide tuæ qui legeris isthæc;
Illa etenim variat mobilitate vices.*



Flo-

Floræ tumulus . 74.
(tor?)

*Quid lachrymas tumulo spargis, peregrine Via-
Quid cineres, aut quid fletibus ossa rigas?
Quid vacuo misisse iuvat suspiria Cælo
Irrita? quid nimium barbara fata vocas?
Hoc extincta iacet pulcherrima Flora sepulchro,
Flora iocus Venerum, dulcis Amoris Amor:
Pone modum lachrymis, nec turbes funera fletu;
Vita etenim solita est floribus esse brevis.*

Ad Postumum. 75.

*Edideras apros nupèr, sed, Postume, crudos:
Sic Apros intèr, Postume, Porcus eras.*

Ad Lælium de Castore. 76.

*Causidicus Castor legum, iurisque peritus
Dicitur, & lites ingeniosus agit:
Ille tamèn, credas, Læli, de legibus unam
Corneliam legem nouit, adulter erat.*

Ad

Ad Iulium. 77.

*Quid facerè, deerat; scripsi de more Camænas,
Et paruos dulci non sine felle iocos:
Accipias ergò grato pro munere, Iuli,
Edocuit Phæbus qualiacumque Deus:
Neue dedisse velis munus pro munere; nobis
Sat dederis, si tu carmina nostra leges.*

Ad Bythinnicum. 78.

*Dona eboris poscis sempèr, Bythinnice, mittam
Mox tibi non eboris dona, sed ellebori.*

Sui Sæculi lachrymæ. 79.

*O nimium Sortis deliria caca! videmus
Archasinos nostro tempore nosse satis:
Vera iacet nullo cultu despecta Pœsis;
Optima qui scribunt carmina, laude carent:
Non Virtus hodiè, sed serica vestis, & aurum,
Aut pueri vultus dat sapuisse nimis.*

Ad

Ad Alanum militem potorem. 80.

*Diceris Alcidi quod par sis robore, nosco :
Nec tibi, quod tribuit vulgus, Alane, nego:
Ille mari metas potuit praefigere : sed tu
Nunc metas pariter figis, Alane, mero.*

Ad Marsum. 81.

*Literulam primam toto de nomine tollas,
Sic Arsus fies nomine, Marsus eras.*

Ad Crisconium. 82.

*Cum mihi, Crisconi, nuper coniuva fuisti,
Visa tibi non sunt fercula mille satis :
Et lepores, & aues, cervosque, aprosque vorasti,
Sed tibi nunc pestis deuoret atra gulam.*



Ad

Ad Cæcilianum. 83.


*Diceris Astrologus, Geometra diceris idem,
Sed nec Grammaticam, Cæciliane, sapis:
Hinc dicā, & meritò, malus es Geometra & idē
Grammaticus peior, pessimus Astrologus.*

Ad Maurum Poetam. 84.

*Non Maurū dicā posthac te, Maure, sed Aurum,
Aurea nam sunt qua carmina, Maure, facis.*

De Paulino. 85.

*Funeris extremi Paulinus venit ad horas,
Heredem fratrem scripsit, & ille socrum :
Quid tamēn heredi liquit vis noscere ? febrim
Dimidiam fratri, dimidiamque socio.*



De

De Neapolitano SS. Petri, & Pauli
templo. 86.

*Hic ubi sidereo fumant altaria Cælo,
Et dat Parthenope plurima vota Deo,
Tartarei fratres steterant cum Castore Pollux,
Atque Erebo populus cum prece thura dabat,
At nunc irradiant latè, Petro auspice, cultu,
Et propius crescunt addita templa polo:
Vnaque Religio sedem hinc sibi postulat; & sunt,
Perfidia iam qua templa fuere, Dei.*

Ad Paulum militem pusillanimum. 87

*Quòd sis Romanus non possum credere, mōstrat
Vltima enim duplex syllaba, Paule, manus.*

Veneris, & Amoris statua. 88.

*Pulchra Venus labor est, què vos spectatis, et illi
Iunctus Amor comes est, nobilis arte puer:
Absistas qui cernis opus, ferit illa sagittis,
Hic facibus, cæco vulnere quemque domant.*

De

De Paulo Grammatico. 89.


*Grammaticus nouit nisi verba sequentia Paulus,
Accipio, rapio, verbero, cædo, neco:
At mox cognoscet vel plurima nomina, qua sūt
Remus, et Vnda maris, uulnera, mors, laquens.*

Ad Poetam quendam. 90.

*Optima qua scribis tua sunt Epigrammata; sed te
Dum laudas, non sunt optima, pessima sunt.*

Ad Ponticum. 91.

*Rasa pilo splendet facies tibi, Pontice, nosco;
Vis dicam tamen id qua ratione facis?
Non quia ciuiles mores, & dogmata seruas,
Sed quia luxuries, teque libido vorat.*



Ad

Ad Simplicianum. 92.

*Quid quereris mecū quod parvula munera misi,
Cum tibi misissem, Simpliciane, togam?
Pone, precor, lachrymas; iustissima nostra querela
Cū nobis dederas, Simpliciane, nihil. (est,*

Ad Ebriardum. 93.

*Par, Ebriarde, tibi nomen fuit; ebrius ardes;
Et recalent nimio pectora plena mero.*

Ad Sempronium. 94.

*Disticha, Semproni, scribo, tu disticha scribis,
Et Musas tentas vincere posse meas:
Sed labor hic tenuis fuerat, neue ardua res est.
Vis mecum posthac scribere? scribe librum.*



Ad

Ad Cæcilianum. 95.


*pauper erat, nobis mittebat munera; dives
Nunc est, & nobis mittere dona negat:
Vel mittas nobis dives quoque munera, pauper.
Vel fias iterum, Cæciliane; decet.*

Ad Lælium. 96.

*Vitruvii de stirpe genus deducimus omnes;
Quale vitrum, Læli, fragimur, & morimur.*

De Aufidio. 97.

*Aufidium spectata: sunt omnia maxima, dices:
Maximus est vultu, maximus ille genis:
Maximus est oculis, pedibus quoque maximus, unū
Attamen est minimum, dixeris, ingenium.*



C

Vita

Vita humana. 98.

*Nascimur, & nati vitali pascimur aura;
 Fumus adest, aura deficiente leui:
 Sic res humanas voluit Natura iocari;
 Nil nisi mortales ventus, & aura sumus.*

Diuitis tumulus. 99.

*Dives eram, tumulum subij, nil profuit aurum,
 Nec Mors attalicas barbara curat opes.*

Ad Gelliam. 100.

*Gellia, mentitur Vencrem qui dixerit vnā,
 Et qui tres Charites dixerat esse Deas:
 Maiestas diuina tuo stat Gellia vultu,
 Hinc Charis es, dicā, quarta, secunda Venus.*



Ad

Ad Fabianum. 101.

*Quantumuis reddat plenos Vindemia Censur,
 Quantumuis repleat dolia, mille cados;
 Quantumuis calido fument centena falerno
 Vasa, vel ambrosio pocula plena mero:
 Siccabis cyathos, siccabis vasa, falernum
 Deficiet, biberis si, Fabiane, semel.*

Aufidij Obitus. 102.

*Moribus Aufidius fuerat Sol, occidit vndis;
 Conuenit, haud aliter debuit ille mori.*

De Tuca Poeta. 103.

*Se Vatem iactat, dicit se Tuca Poëtam;
 Monstratur digitis, ingeniosus homo est;
 Spirituale facit carmen, non ille profanum;
 Nulla etenim video carmina, nulla facit.*



C 2 Ad

Ad Eunnum adolescentem. 104.

*Vnguento crines madidus nar doque capillum
 In media resides pulcher in Vrbe puer;
 Non sic fulget ebur, non sic intermicat aurum,
 Sythonia non sic emicuerit niues:
 Qui te conspiciunt, vultu rapiuntur, & ardent,
 Multa verecundo ludit in ore Charis:
 O quantum dulcis nides perfusus amomo!
 Lingua solæcisum fecerat, Eunne, nites.*

Ad Marianum de Tuca. 105.

*Omnia Tuca sapit, sapit omnia Tuca, fatemur.
 Nam qui cuncta sapit, nil, Mariane, sapit.*

Ad Cæcilianum. 106.

*Aurea quod mediam te portet rheda per Vrben,
 Nil me, nil fateor, Cæciliane, iuuat,
 At qua pro rheda debes mihi millia soluas;
 Hoc unum, fateor, Cæciliane, iuuat.*

Ad

Ad Auitum. 107.

*Mors tibi contingat fortunatissima, sero
 Illa gradu videat limen, Asite, tuum:
 Post cineres tardos, & tempora longa resurges
 Nobilior, pariet premia digna cinis:
 Non totus puluis, sed magna ex parte superstes
 Incipies Patribus viuere, Auite, tuis:
 O mihi fortunet votum inclementia Parca,
 O Desiderium fata benigna sinant.*

De Fratibus. 108.

*Qui sint hi pueri cognoscere quæris? Amorùm
 Sunt Plausus, Veneris Gloria, flamma mei.*

Ad Lælium. 109.

*Optima, quæ scribo, mea sunt Epigrammata, Leli,
 Sed tua sunt, Leli, pessima, neuè placent:
 Scilicet ista tibi dicat male sana Libido;
 At nos, quæ facimus, pura Thalia docet.*

C 3

Mi-

Militis tumulus. I 10.

*Quisquis es, exiguū tumulū venerare, Viator,
Sub tumulo magni militis ossa iacent:
Belligeri Martis certamina dura sequutus,
Quae streperent duro, sentijt arma, sono:
At nunc extincto da, Hospes, pia munera Pacis,
Post strepitum cineri sit sine lite quies.*

Ad Cæsarem. I 11.

*Cæsar es à cædo; nam pessima crimina carpis,
Et calamo cædis pessima facta tuo.*

Ad Flaccum. I 12.

*Quid prosūt, dicit nobis, Epigrāmata? Flaccus:
Paruula sunt; magnum scribere prestat opus:
Paruula sūt, sic est, Epigrāmata, Flacce, fatemur;
Non tamēn exigui sunt opus ingenij.*



Ad

Ad quendam de suo stemmate. I 13.

*O cui sub patrio Leo stemmate substinet alas,
Et petit aetheras fortis ab ungue domos,
Stemma tuum concede, precor, rabidūq; Leonē,
Qui pennas poterit contribuisse suas:
Sic mea Fama sibi geminas aptaverit alas,
Et notum fiet nomen in Orbe meum:
Sic paritèr nostras Leo proteget ungue Camæ-
Et Vates fuero tutus ab inuidia. (nas,*

Ad Coquum, & Poetam. I 14.

*Et Coquus, & Vates fueras, & diceris idem,
Sic tibi lingua sapit, sic sapit ingenium.*

Ad Sabellium. I 15.

*Quae pateris, lato vultu patiare, Sabelli,
Et placidè accipias tristia quaeque velis:
Nam qui nūc patitur Fortuna vulnera, & iras,
Cras idem Risum sentit, & ille iocos.*

C 4

Ad

Ad Postumum Poetam. I 16.

*Cum verum dicas scribendo, Postume, credis,
Quòd nec habes similem, Postume, neue parè:
Deciperis tamèn, id credas mihi, Postume; nam
Veridicis peius Vatibus esse potest. (nil*

Ad Fabianum Muscani. I 17.

*Et Mus, & Canis es; monstrant cognomina; sed
Te rodat, laceret te, Fabiane, Canis. (Mus*

Ad Lectorem de suis libellis. I 18.

*Si placui scribendo iocos ne carmina laudes,
Sed laudes, vellem, qui docet illa, Deum:
At si displicui, Lector studiose, memento,
Quòd vel Virgilius carmine displicuit.*



An-

Antiochi tumulus. I 19.

*Si quis funereo tumulum de marmore spectas,
Qua mōstrat tumulus, carmina parua legas:
Hic iacet Antiochus toti notissimū Vrbi,
Cui dederant patrias regia iura togas:
Propterea qui lege reos defenderat, unum
A tumulo se defendere non potuit.*

Ad Lælium del Viuo. I 20.

*Viuus es, id constat, Lali; cognomina monstrāt;
Mortuus es, Lali, monstrat & officium.*

Ad Paulinum. I 21.

*Quos mihi misisti, gratissima munera, legi
Purpureosq; libros, laurigerosque libros:
At tibi, quos legeres, pariter, Pauline, remisit
Dextera nostra iocos, dextera nostra sales.*



Ad

Ad Cæcilianum. I 22.

*Optima quæ fuerint, vel pessima carmina nescis;
Sed laudas Vates, Cæciliane, tamèn:
Miramur, sic laudat enim Demosthena Caupo,
Causidicum Sutor, Bibliopola Coquum.*

Ad Casteliardum. I 23.

*Castus es, & Cæli flammis ardescis; utrumque
Nominibus monstras, Casteliarde, tuis.*

Ad Maximianum. I 24.

*Si fort assè tibi sestertia mutua posco,
Te surdum precibus, Maximiane, facis:
At quid reddiderim, credis, pro talibus ausis?
Sis verè surdus, Maximiane, velim.*



Nestoris pueri tumulus. I 25.

*Hoc iacet exiguo sub marmore Nestor humatus,
Da lachrymas, lachrymas mæsta sepulchra
Antè diè cecidit fato ingulatus acerbo; (merèt
Hebdomadas etenim viderat ille duas:
perdidit & lucè, quam vix cognouerat Infans,
Perdidit, & quem vix nouit amare, patrem:
Scilicèt & vita, & tumulus res vna fatè dū est
Quòd sint; en subito nascimur, & morimur.*

Ad Iulium. I 26.

*Tu sempèr carpis, Iuli, mea carmina, nosco:
Ast ego neuè semèl carmina carpo tua.*

De Flacco. I 27.

*Cæcuba cùm peterè à Flacco, vel dulce falernū,
Ille dedit multa non sinè fece merum:
Propterea nostro cecidit ingulatus ab ense,
Et pro fece habuit cum ratione necem.*

Poetæ tumulus . 128.

*Conditur hoc paruo tumuli sub marmore Vates,
 Qui calamo fuerat rarus, & ingenio ;
 Carminibus Phæbo placuit, Phæbique cohorti,
 Et Musis; multum deliciosus erat :
 Displicuit cruda Lachesi tamèn, occidit; & nūc
 Umbra iacet, pedibus proteriturque cinis:
 Da lachrymas, tristesq undas diffundere par est;
 Vati enim placuit Castalis unda nimis .*

Ad Ollum. 129.

*Mutua quæ sui sefertia, & Olle, negasti;
 Nunc eadem quaris mutua, & Olle, nego.*

Ad Sabinum. 130.

*Romanus fueras, Sabine, nosco ;
 Atque idem fueras, Sabine, latro:
 Sed pro sacrilegis, Sabine, noxis,
 Te Roma Lupa deuoret, rogamus.*

Ad

Ad Fabianum . 131.

*Cernis ut assiduis surgant incendia flammis,
 Crescat, & è medio plurima flamma rogo ?
 Credideris rabidus quòd sit, Fabiane, Vesceus;
 Aut quòd sit facibus vasta Chimera suis;
 Sed cur ardescant ardentibus ignibus Ignes
 Quæsteris, vel cur ardeat ille focus?
 Aduertas, dicam, nec sunt mendacia, credas:
 Te manet ille ignis, te manet ille rognus.*

Ad Bythinicum. 132.

*Poscis carmina, sed nihil Poeta
 Das, Bythinice; dixerim proinde,
 Amas carmina, non amas Poëtam.*

Ad Ponticum. 133.

*Grāmaticus bonus, & Logicus, tibi, Pōtice, dixi,
 Optimus es; quare, Pontice, sæpè doles :
 At ne displiceam posthac tibi, Pontice, dicam:
 Grammaticus malus es, pessimus es Logicus.*

Ad

Ad Pictorem Veneris. I 34.

*Pictor Acidalios vultus, Venerisque figuram
Pinxerat, in paruo fragmine spirat opus:
At non addiderat felix industria flammæ,
Quæis armata Cypris pectora nostra vorat:
Sic uno geminata Venus discrimine visa est;
Sed quò nil desit, sedulus adde faces.*

Ad Emanuelem. I 35.

*Diceris Emanuel res est notissima; sed qui
Grammata neuè doces, grammata neuè sapis.*

Ad Crisconium. I 36.

*Quid mea, Crisconi, tibi pagina displicet? et cur
Auersum è nostro carmine lumen habes?
Non sic gorgoneū tremulus puer aufugit anguè;
Vt tu, Crisconi, carmina nostra fugis:
Quid tibi? quid faciã tanto pro crimine, credis?
Vt nunquàm videas, inspiciasque, velim.*

Ad

Ad Iosephum Leporem. I 37.

*O qua grata tuis residet facundia labris!
O quod ab ambrosio defluit ore melos!
Quale decus fandi! loqueris qua mella, liquores
Nectareos, Ioseph, attica lingua sapit:
Cur ergò Leporem te iam dixere? Leporem
Te patres potiùs dicere debuerant.*

De Alexandro Seuero. I 38.

*Nominibus rigidus, iucundus moribus idem est:
Sic vnus populis displicet, atque placet.*

De Paulo. I 39.

*igneus afflatu terrebat Syrius Orbem,
Et dabat ignito feruidus ore faces:
Aer anhelabat sua viscera tortus ab aestu,
Hinc liquidus nostre sudor ab ore fluit:
Sed postquam cœpit nobis sua carmina Paulus
Dicere, temperiem feruidus aestus habet.*

Ad

Ad Fabianum. I 40.

*Hic ubi cum pueris viuo praeceptor, & illos
 Edoceo, faciam quid, Fabiane, rogas:
 Hor arum fuerint nobis qua munia, poscis;
 Et quae sit studij grata Palaestra mei.
 Distingui quae aris discrimina cuncta laborum,
 Officij finem, principiumque petis.
 Aduertas, vltro paucis haec omnia dicam,
 Et belle referam quod, Fabiane, cupis:
 Quae nos exercet sola est, atque vna fatigat
 Manè, diu, nocturn, vespere dira fames.*

Ad Postumum. I 41.

*Omnes te dicunt Vatem, me, Postume, nullus;
 Plurima ego, sed tu carmina nulla facis.*

Ad Iulium Rosii. I 42.

*Nasceris, & natum, Iuli charissime, Patres
 Nomine te faciunt erubuisse tuo:
 Quos ambis Fortuna negat crudelis Honores,
 Sic vultu te fors erubuisse facit.*

CHRI-

CHRISTVS de Cruce. I 43.

*Cernitis exanimem duro de stipite Christum,
 Vulnera perque manus, vulnera perque pedes?
 Heu dolor! heu Caelo nimium lachrymabile funus!
 Innocuus subijt tristitia fata Deus:
 At quae spectatis, nobis dant vulnere Vitam,
 Et fluit è Christi sanguine nostra salus.*

Ad Iulium de Mariana. I 44.

*Cur Mariana viro, Iuli, non nupserat ulli?
 Omnibus ut nubat sic Mariana viris.*

Ad Laelium. I 45.

*Historias quidam, Iuli, scripssisse cupibat,
 Ignati cepit scribere gesta Patris:
 An non id merito factum est? Ignatius unus
 Materies carthis debuit esse suis.*



D

De

De Afra. 146.

*Norma Pudicitia, Rectique Exemplar, Honesti
Regula per medias creditur Afra vias;
Composito vultu procedit & ore per Urbem:
Nulla unquam visa est casta puella magis:
Attamen Afra domi male sana videtur Alecto;
Non ille est zelus, crede, sed Hypocrisis.*

Agatha, & Lucia meretrices. 147.

*Illa meret ferro mammas habuisse recisas;
Effossos oculos hac habuisse meret.*

Ad Eunnum Muficum. 148.

*Muficus es, fateor, sic est, num nobilis? erras:
Te vilem vel vox Muficus, Eunne, notat:
Sume caput, mus fædus eris; procùl abijce vètrè,
Et caput, & caudam congere, Mucus eris.*



In-

Inuidiæ tumulus. 149.


*Hic stant Inuidia cineres, atque ossa, Viator,
Ad risus cecidit contumelata meos:
Sed nullas lachrymas, nullos dent lumina fletus,
Ad gemitus iterum vixerit illa tuos.*

Donatus. 150.

*Dic, rogito, quæ dona tuo sub nomine claudis,
Accipere, an potius contribuisse soles?*

Ad Marianum Poetam. 151.

*Illachrymas totis semper, Mariane, diebus,
Quòd cecus fueras, barbara fata vocas:
Pone tamèn lachrymas: duo si Natura negavit
Lumina, mille tibi lumina Fama dedit.*



D 2

De

De Paulo cognomine Vrso. 152.

*Subripuit nobis centum sestertia Paulus,
Et sig:tes medijs perdidit ille focis;
Ense mei famuli iugulum perfodit iniquo,
Et pueros verbis, verberibusq; ferit: (strät,
Quas dederit pœnas pro crimine? nomina mon-
Qui laceret corpus dentibus, Vrsus erit.*

Ad Paulum. 153.

*Quæsiui librum, sed nil mihi, Paule, dedisti;
Nil queram, librum sic mihi, Paule, dabis.*

Virtus, & Honor. 154.

*Coniugio stabili Virtus sibi iunxit Honorem,
Sic genus optarant multiplicasse suum:
Quarta connubia! ò quales celebrät Hymeneos!
Quid peperere, rogas? heu scelus! Inuidiam.*



Ad

Ad Lælium Dialecticum. 155.

*Quid strepit assiduo, Læli, clamore Lycaum?
Atria quid resonant vocibus ista tuis?
Exclamas sempèr, componi Ceruus, & Hircus
Re nequeunt; atque hoc nec Deus ipse potest:
Deciperis; nam tu Ceruum coniungis, & Hircũ,
Et varium misces vnus utrumque genus:
Quòd Ceruus fueras, leuitas tua môstrat: at Hir
Quòd sis, que gestas cornua frôte notät. (cus*

Ad Postumum. 156.

*Perdere te dicis quidquid mihi, Postume, donas:
Perdere non est hoc, Postume, crede, lucrũ est.*

Fabricij tumulus. 157.

*Ne strepites quicumque vides fatale sepulchrũ,
Nec minimum faciat garrula lingua sonũ:
Hic stat Fabricius, qui vel post funera, puluis
Sit quamuis, animo cogitat astra suo:
Viuendo comites omnes fastiderat, illi
Vna comes fuerat candida Religio.*

D 3

Igna-

Ignatij tumulus. 158.

*Aspice de pharijs frigentia marmora saxis,
Et qui stat tumulus par, similisque niui,
Hæc puer, ah facinus! situs est Ignatius, Infans
Qui fuerat patris cura, dolorque sui:
Nec tamèn id credas, hospes: nam feruidus ignis
Non benè cum niueo marmore conueniunt.*

Ad Paulum Romano. 159.

(Strat

*Quæ, Romane, manus tibi dat cognomina, mō-
Quòd fur sis; sunt pessima furta manu.*

Ad Postumum. 160.

*Nescio, qua recitas, num sine tua carmina: Vate
Hinc te nec dico, Postume, nenè puto:
Qui mihi sit Vates, vis noscere? Postume, dicā:
Antè oculos quisquis carmina mille facit.*



Su-

Suprà Fontem. 161.

*Quos hìc dulcifluos placido pede currere fontes,
Et fluere arguto murmure cernis aquas,
Instituit Paulus non ultima fama Matheſis,
Qui certa Cœli sidera lege notat:
Perpetuò refluent, fontesque, & flumina cursu
Vixerit æterna vitreus amnis aqua:
Si deerunt alijs lymphæque, vndaque fluentis,
Hic est, quo possis fonte leuare sitim.*

Ad Ennium de Ollò. 162.

*Qui cunas habuit signo sub Virginis, Enni,
Cur non & mores Virginis Ollus habet?*

Ad Iulium de suis versibus. 163.

*Quid flammæ, & aquas versu coniungis eodè?
Quid prodest vndis consociare faces?
Scilicèt vnda probat tua frigida carmina, Iuli;
Flamma notat tribui carmina digna focis.*

D 4

Ad

Ad Lælium,
Cui Author suum libellum purpureo
regmine compactum miserat. 162.

*Mittimus Aonio, Læli, de monte libellum;
Volve verecunda qui tibi fronte venit:
Erubuit, vultumque pudor fœdavit honestum,
Indignum manibus se putat ille tuis.*

Ad Fabium. 165.

*Totus es ingenium, de te mihi sufficit unum
Hoc dixisse, sat est; totus es ingenium.*

Ad Lectorem de suis libellis. 166.

*Quid refugis nostros, Lector, legisse libellos?
An quia vipereo carmina felle madent?
Fel habeant, fas est, Lector, legisse libellos;
Ludunt, non ladunt carmina quæque leges.*



De

De Lucretia. 167.

*Sacula non Hecubâ posthâc Niobemq; stupescant;
Illa Canis fuerat, frigidus ista lapis:
Ignibus exposuit medijs Lucretia natos,
Ista canis verè est una, eademque lapis.*

Ad Lentinum. 168.

*Quid tibi Lentini sunt nomina? munera nobis
An quia promittis, sed dare lentus eras?*

De Vate amico. 169.

*Quattuor enumerat fortunatissimus ævo
Lustra puer, videat plurima lustra, velim,
Carminibus, Musisque dies, & tempora fallit
Phœbea multum doctus ab arte lyra:
Æterna sunt digna Cedro, plausuque perenni,
Quæ recitat nobis carmina, quæque canit:
Quod meruere decus longo post tempore Vates,
Emeruit lustris quattuor iste puer.*

Ad

Ad Lælium de suo stemmate. 170.

*Stemmate quid patrio triplex globus emicat? orbis
 Quid gentilitio multiplicasse inuat?
 Scilicet Augustas laudes, fama que triumphos
 Vnus, qui caperet, non satis Orbis erat.*

De Aufidio. 171.

*Discere Gallorum literas, & grammata cepit
 Aufidius, paruo tempore Gallus erit.*

De Sempronio. 172.

*Fulmina quis generet, qua Cæli parte creantur,
 Quis pluuia, vel quis grâdinis Author erat,
 Quid facit Æolias animas, sæuosque Comatas,
 Quid rigidum valeat composuisse gelu,
 Edidicit multos annos Sempronius, vnum
 Hoc sapuit, fiant qua ratione niues.*



Ad

Ad Charinum de Farselio. 173.

*Vultu tristior, & nimis molesto,
 Et supercilio Catoniano,
 Vultu squallidus, horridusque vultu,
 Et præter solito dolore mæstus
 Ibat Farselius, Charine; causam
 Queris noscere? viderat libellos
 Quod quidam legeret, daretque plausus,
 Et nostros nimium iocos prebaret;
 At pœnas dederit, luetque pœnas:
 Opus dignius, eruditius que
 Scribam, sic magis inuidus dolebit.*

Ad Paulum. 174.

*Gemmati fiunt, quos tangunt fulmina, montes:
 Natura leges, certa que iura docent:
 Sic tu, dum loqueris de fulmine, Paule, videris
 Aureus eloquio gemmea verba loqui.*



Ad

Ad Lupercum.

175.

*Rhetor diceris optimus, Luperce,
 Bonus Grammaticus, bonus Poëta;
 Hoc est, confiteor, Luperce, verum;
 Sed noscas benè Syncopen, rogamus,
 Figuras reliquas, Luperce, nosti.*

Pollio Gallus.

176.

*Pollio Romanus fuerat, nunc Pollio Gallus;
 Ille Asinius dictus nomine, at iste Asinus.*

Ad Sempronium Saffo.

177.

*O cui, Semproni, tribuit cognomina Saxum,
 Fac saxo inscribam nomina nostra tuo:
 Sic nunquam moriar; viuet mea Fama; nocebunt
 Inuida nominibus tempora nulla meis.*



Ad

Ad Postumianum.

178.

*Argutos, faciles, aspersos melle, venustos
 Misisti nobis, Postumiane, iocos:
 At nos difficiles dedimus, sparsosque veneno,
 Et qui nil lepidi continuere salis;
 Sed cur hoc, rogitas? nostros tibi misimus; at tu
 Non dederas nobis, Postumiane, tuos.*

Ad Lælium.


179.

*Quòd sis uno oculo cecus nil gaudeo, Læli;
 Gauderem si oculo cecus utroque fores.*

Herculis Effigies.

180.

*Herculis effigies hac est operosa metallo;
 Exiguo magnus fulget in gre Deus:
 Labor! O Artis diuina potentia! Iuno
 Alciden iterum pertimuisse potest.*



De

De Postumio.

181.

*Postumius sēp̄r, quæ scribo, Epigrāmata queris
At nil promittit, pramia nulla dedit:
Quarere vel cesset posthac epigrāmata munus
Vel det Postumius pramia larga manu.*

Ad Amicum.

182.

*Quæ tibi porrecta est Domino modò pagina, velle
Quòd tibi Pontifici dextera nostra daret.*

Ad Sabellium .

183

*Vates diceris improbus, Sabelli,
Quòd omnes salibus, facetijsque,
Atque carmine, vinidoque versu
Carpis, dilaceras, feris, cruentas;
Sed gaude, quoniam mihi, Sabelli,
Sic places simul, & simul videris
Vates optimus, optimus Poëta.*

De Pistoia.

184.

*scripserat exiguum nupèr Pistoia libellum,
Sed sua furtiuum pagina claudit opus;
Alcides libri prima sub fronte, Leonem
Qui valido clauæ robore fregit, erat:
At cur Herculeam Clauam, magnumq; Leonem
Sub titulo libri scripserat ille sui?
An meruit quòd Claua caput sibi frangeret? &
Pro furto corpus roderet ore Leo? (quòd*

Ad Fabianum.

185.

*Dixisti Dracònē, sed dic, Fabiane, Draconem:
Dente aliter rabido te voraret ille, meres.*

Ad Ponticum.

186.

*Quòd solum sēp̄r videas me, Pontice, rides;
Canto, bibo, cæno, dormio, solus eo:
Sed tu ridēdus magis es mihi, Pontice, quandò
Cum genitrice bibis, cum genitrice cois.*

De

Ad

Ad Lectorem. 187.

*Qui legis hac, noli mea ledere carmina morsu,
 Siue senex fueris tempore, siue puer:
 Quinque mihi sūt lustra; tener pubescit Apollo,
 Et ludit rudibus parua Thalia notis;
 Sed si quis cupiat me carpere detibus, huic par
 Scribat opus, vel sit conditione minus;
 Et tunc mille mihi liuor det vulnera vindex;
 Iusta etenim venient vulnera, iusta feram.*

De Phœbo. 188.

*Totus erat Phœbo similis, sed coniuge iuncta,
 Dissimile hoc vnū est, cornua Phœbus habet.*

Ad Fabianum. 189.

*Quid viridis patrio fulget tibi stēmate laurus
 Quod Vates fueras num, Fabiane, notat?
 Falleris: illa monet Veneris pro crimine quoddam
 Arbore debueras pendulus esse tua.*


De

De Gellio. 190.

*Atria surgebant propius sublimia Cælo,
 Et quasi tangebant sidera celsa Domus;
 Gellius ascendit tectum constructor in altum;
 Mens erat exesas adificasse irabes,
 Sed cecidit præceps trabibus reuolutus, & illi
 Confregit miseros vasta ruina pedes;
 Propterea dimisit opus, nec Gellius vnquam
 Ædificat; languet debilis ille domi;
 Attamen in manibus Cytharā noctūq; diūque
 Semp̄r habet, strepitat vocibus, ore tonat:
 Non igitur Fortuna pedes, sed debuit illi
 Aut linguam, aut ambas debilitare manus.*

Ad Cæcilianum. 191.

*Præcipis, & subito fieri vis omnia; sic tu
 Vel subito pereas, Cæciliane, volo.*



E

Ad

Ad Postumum. 192.

*Sis diues, moreris; fueris mox, Postume, puluis;
 Sis sapiens, moreris, Postume; puluis eris:
 Nobilis es? moreris: viridis stat robore sanguis,
 Aut puer es? rapido funere puluis eris:
 Mortis iter mox quisque premet: mors omnibus
 aqua est,
 Non aurum, aut atas barbara fata mouet.*

Ad Paulum. 193.

*Quòd Vates fueras, fateor; nec, Paule, negabo:
 Pessima quòd scribas carmina, neuè nego.*

Ad Oppianum maledicum. 194.

*Sis auo licèt, Oppiane, multo
 Confectus, senio premente crines,
 Et grauis licèt expuisse iussis
 Omnes fecerit, Oppiane, dentes;
 Tamèn dixerit, Oppiane, verum,
 Quisquis dixerit, Oppiane, mordet.*

Ad

Ad Fuscum. 195.

*Astream sequeris, sequimur nos, Fusce, Poesim,
 Propterea genio dispare, Fusce, sumus:
 Tu vigilas, possis quo respondere clienti,
 Nec mollis reficit lumina lassà sopor:
 At nos Pierij montis sub culmine somnus,
 Fusce, iuuat; recreat lumina grata quies:
 Tu diues tamèn es, multum sed, Fusce, laboras;
 Viuere nos modico somnus, & umbra facit:
 Otia da nobis, tibi nos concedimus aurum;
 Nil est diuitiùs quàm senè lite dies.*

Ad Alaudum de Paulo Fasano. 196.

*Displicet, at nobis Fasanus, Alaude, placeret
 Assatus, vel si tostus, Alaude, foret.*

De Paulo. 197.

*Astrologus, Vates, Medicus, Geometra Paulus
 Dicitur, & iuris dogmata sacra docet;
 Tota tamèn residet mendax sapientia labris;
 Sic doctus poterit Psittacus esse meus.*

E 2

Ad

Ad Apicium.

198.

Vates dicimur, atque nuncupamur,
 Decus Pieridum, decusque Phœbi,
 Pindi Gloria, Castalis Voluptas;
 Monstramur digitis, ubique plausus
 Plures excipimus, probante catu;
 Quid tamèn tituli iuuant, Apici?
 Quid & nomina vana, quando nobis
 Fames guttura vexat, & lacernas
 Consumptas, veteres, malas habemus?
 Vatis nomina venderem: rogabis
 Sed quanti? pro obulo darem vel vno.

De Lege.

199.

Oceanus Lex est, quis, nescio, dixerat Auctor:
 Ditiùs Oceano nil, quoque lege nihil.

Ad Cæcilianum.

200.

Ardet aper, famulum punis, te scinde flagello:
 Nam tibi plus ardet, Cæciliane, gula.

Ad

Ad Crisconium.

201.]

Perlege, Crisconi, lepidos paruosque libellos,
 Et quos expulij punice, volue iocos:
 Paruula dona quidem, sed non ignobile munus:
 Detineant oculos carmina nostra tuos:
 Quod tibi misissem, fuerat nil charius; unum
 Hoc mihi, quod potui mittere, munus erat:
 Quantumuis humiles, noli contemnere rugas:
 Mox tibi, quæ fuerint grandia, dona dabo.

Ad Cæcilianum.

202.]

Crassa tibi quamuis sit, Cæciliane, lacerna;
 Macra tibi tamèn est, Cæciliane, manus.

Ad Sextum.

203.]

Cum tibi dixissem quòd multum, Sexte, mereres,
 Et quòd pro meritis mox tibi plura darem:
 Errasti tanquam si munera plura dedissem,
 At quæ promisi, vulnera plura dedi.

E 3

Ad

Ad Postumianum. 204.]

*Astrologus dicor, casus prædico futuros,
Optima fata scio, pessima fata scio:
At tibi qua venient, optas cognoscere sortes?
Et quales fuerint, Postumiane, dies?
Crede, miser fueris partim consumptus ab igne,
Et partim canibus dilaceratus eris.*

Ad Bythinicum. 205.]

*Cū repetas semper vocē hanc, Bythinice, Sanè,
Vix sanus fueras, credimus, ingenio.*

Ad Lælium de Postumio. 206.]

*Postumius, Læli, quaris cur fulgeat ostro?
Et nimium tyria syndone cultus eat?
Postumius nobis nupèr confregerat Arcam,
Et gemmas rapuit, Sardonychasque tulit.*



Ad

Ad Paulum Oratorem. 207.]


*Edocuit fidei quondam sacra dogmata Paulus,
Nūc quoque tu Paulus dogmata sacra doces:
Barbaries illi Caput abstulit ense; mereres;
Sic tibi Barbaries auferat ense Caput.*

Postumius, & Soccinna. 208.]

*Postumius nullos, omnes Soccinna salutat;
Ille superbus, at hic ambitiosus erat.*

Ad Fuscum. 209.]

*Tempore, Fuscus ait, nihil est pretiosius uno;
Nil est, quod possit plus valuisse, docet:
Afferimus, sic est; nil tempore charius, illo,
Fusce, tamèn, quo te febris iniqua premit.*



E 4

Ad

Ad Cæcilianum. 210.


*Sub patrio nigret tibi sēm̄ate mæsta cupressus,
Et gentilitium, Cæciliane, facit :
Quid tamèn illa notet? sēp̄er p̄scisq; rogasq;
Dicam: debueras iam perijisse, notat.*

Ad Harpalum Mauro. 211.

*Maurus eras, coniux tibi iūgitur, Harpale; Mau-
Nō fueris posthàc, Harpale, Taurus eris. (rus*

Ad Ponticum. 212.

*Aufidium laudant, paritèr te, Pontice, laudant,
Et laudes populus prabet utrique pares:
Aufidij laus vera tamèn, tua, Pontice, ficta est:
Dives eras nam tu, Pontice, at ille miser.*



Ad

Ad Postumianum de Fusco. 213.

*Quòd mihi præberet cupido sua carmina Fuscus,
Instantèr petij tèrque quatèrque prece :
Ille tamèn nobis ne det sua carmina, dicit
Vexari curis, sollicitumque premi:
Nunc has, nunc illas Fuscus, res efficit omnes,
Pr optereà nobis carmina sapè negat;
Sed letor tandèm, fieri est res una superstes ;
Quæ fuerit, quaris, Postumiane ? mori .*

Ad Paulum. 214.

*Quid me, Paule, fugis, tãquàm si pessimus es sē?
Te fugias; nam tu crimine peior eras .*

Præsinus. 215.

*In media statuam Præsinus sibi fecerat Vrbe,
Et statua nomen fixerat ille suum :
Literulas primas abrasit longa senectus,
Sic Aferius nobis incipit ille legi.*

Ad

Ad Amicum Poetam. 216.

O qui Phæbeas Cytaras, & carmina tractas
 Castalios inter Pieridumque choros,
 Exorare velis gratissima Numina Vatum,
 Et quotquot colles incoluere sacros;
 Fleete, rogo, Phæbum precibus, Phæbiq; sorores,
 Dent mihi palladia cingere fronde comas;
 Bellerophonteos inbeant potare liquores,
 Et refluat labris Castalis unda meis:
 Sic vultu meliore Deus te spectet Apollo,
 Sic tua, quæ scribis carmina, Phæbus amet.

Ad Cæsarem pauperem. 217.

Cæsar es, & pauper, tua vix anigmata nosco;
 Imperioque cares, imperioque præs.

Neronis Imago. 218.

Cernite, qua picto de pariete pendet imago,
 Romulei vultum Cæsaris illa notat:
 Errauere tamèn: non pensilis esse Neronis
 Effigies, meruit pensilis esse Nero.

Tro-

Troiaë combustio. 219.

O Vrbs infelix duplici contraria sorti,
 Nasceris, & fato dispare, Troia, peris:
 Neptunus, qui te posuit, maris imperat undis,
 Vulcanus, qui te destruit, ignis erat.

Ad Paulum Coruo. 220.

Coruus es, & Vates, miror; dixisse Poëtas
 Cycnos, non Cornos dicere, Paule, solent.

De Gallo. 221.

Tristatur nostro semper de tempore Gallus,
 Nequè potest lachrymas continuisse suas:
 Heu pudor! exclamat, trāscribūt carmina Vates,
 Et dicunt, alijs quod rapuere, suum:
 At carpando alios Gallus, se corripit ipsum;
 Ipse est, qui primus pessima furta facit.



Ad

Ad Attilum Grammaticum. 222.

*Claudius R literam, literam G reperit Autho
Carbilus, quarè præmia laudis habent:
At non laudaris, sed carperis, Attile, quòd tu
Y reperis, frontis cornua fæda tua.*

Ad Lælium. 223.

*Orpheus attraxit montes testudine, Læli,
Invidia lapides carmina nostra trabunt.*

De Theodora. 224.

*Nubere Causidico vellet Theodora marito,
Et cuperet thalami consociare fidem:
Disparilis nunquam tamèn id permiserit atas,
Ille etenim puer est, sed Theodora senex.*



Do-

Dolia propè sepulchrum. 225.

*Hic ubi fatali consurgit mole sepulchrum,
Quid stant purpureo dolia plena meror?
Scilicèt annofo fument Carchesia Baccho
Mille tibi, exorto, vel moriente die;
Mille tibi vel manè paret, vel vespere luxus
Prandia, tristis adhuc te Libitina manet.*

Ad Harpalum. 226.

*In tumulo sceptrum depingitur, Harpale; discas
Hinc igitur, Reges, Harpale, vel pereunt.*

De Paulo. 227.

*Paulus emit quæcumque suis inspexit ocellis,
Prædia Paulus emit, ruraq; Paulus emit:
Præbuit Antiocho centum sestertia Paulus,
Et magna coemit Paulus in Vrbe domum:
Omnia Paulus emit, sed nō emit omnia Paulus,
Postribulo matrem vendidit ille suam.*

Poc-

Poetae tumulus. 228

*Hoc iacet occlusus paruo sub marmore Vates,
 Fatidicum Vate hoc nobile marmor habet:
 Da cineri flores, tumulo da ferta, Viator;
 Viuus enim multo floruit ingenio.*

Ad Faustinum de Casselio. 229

*Dicerè Casselium moli, Faustine, gulosum:
 Casselius, Faustine, gula est, nō ille gulosus.*

Ad Marianum. 230

*Cūm doleant toto sempèr tibi corpore renes,
 Dic, cerebrum nunquàm qua ratione dolet?
 An tibi, qui doleant renes, Mariane, supersunt,
 Et cerebrum, doleat quod, Mariane, deest?*



Ad

Ad Polycarmum Festa. 231.

*si veniat festiua dies, Polycarme, labores,
 Et concinnatum non benè cessat opus;
 Otia tunc Cælo sunt debita, protinùs Artes
 Officiū gaudent deposuisse suum:
 Nullus in orbe fragor tūc psonat: undiq; spectas
 Otia, quiq; labor non strepit ore, filet.
 Hinc festiua dies dederat tibi nomina, credo,
 Displicuit sempèr quòd, Polycarme, labor.*

Ad Eundem. 232.

*Quid festiua dies dederat tibi nomina? Cælo
 An fueras gratus, qualiter illa dies?*

Ad Eundem. 233.

*Qua nobis festiua dies, Polycarme, vocatur,
 Pra reliquis Cælo Religione placet:
 Vna etenim cultum superis indicit, & Orbem
 Vna docet laudum munera ferre Deo:
 Hinc tibi cur eadem dederit cognomina, nosco:
 Pra reliquis fueras Religione pius.*

Ad

Ad Cæcilianam. 234.

*Si te de siculo spectaret Mulciber antro,
Vel si de nitido Iuppiter axe Deus;
Mulciber odisset Venerem, Iunonis honores
Iuppiter, aspectu vincis utramque tuo.*

Ad Sergium Urbano. 235.

*Urbani quid digna tibi sunt nomina, Sergi?
Urbani fuerat purpura danda magis?*

Puer Iesus cū Matre in præsepio. 236.

*Bethlea sub rupe puer cum Matre iacebat,
Ille latus fuerat nudus, & ista latus:
Interea crudelis hyems armata flagello
Sœuit, & arctoo frigore utrumque ferit:
Tunc pueri miserata sui tristissima Mater
Sic ait: ab moriar, nè moriari puer.*



De

De Tuca. 237.

*Iura poli, legesque Dei confectus ab ævo
Explicat, & Cæli dogmata Tuca docet:
Sæpè tamèn mittit pluuio de lumine fletus,
Nec potis est gemitus continuisse suos:
An motus pietate gemit? ne credite: plausus
Ille gemit, quos iam perdere Tuca videt.*

Ad Eunnum. 238.

*Spirituale scelus fuerat, quis denegat? ergò
Spiritus es totus, totus es, Eunne, scelus.*

Francisci Xaberij tumulus. 239.

*Da tumulo lachrymas, hospes, da vot a sepulchro:
Xaberij cineres hæc brevis urna capit:
An credes? recubat non hîc Xaberius: urna
Parua est: Orbe etenim maior utroque fuit.*



F

Ad

Ad Tuccam.

240.

*Quid vellē? quaris semp̄, sub vespere quaris
 Quid vellem? noctū, Tucca, fateris idem:
 Non ego diuitias, non gemmas, Tucca, nec aurū,
 Non vellem culti iugera magna soli;
 Non ades, non Tucca, domos, non tecta, coruscis,
 Quae niteant trabibus, marmoribusq; velim;
 Non ego Regnorū regimen, nō scepra potentū,
 Nec vellem attalica conditione frui:
 Quid vellē? rursū queris: iam, Tucca, fatebor:
 Hoc vellem funus te subijisse iunm.*

Ad Paulum.

241.

*Carmina nos dedimus, gēmas tu, Paule, dedisti:
 Signari gemmis carmina nostra putas.*

Coniugum tumulus.

242.

*Hic Fabiana iacet coniux, & Cinna maritus;
 Errant: līs hāc, litigiumque iacet:
 Admoneas aures tumulo, qui prateris, hospes;
 Nunc quoque vel rixas nutrit uterq; cinis.*

Ad

Ad librum suum.

243.

*Quid prodest liquisse lares, patriosq; penates?
 Quid mea fastidis scrinia parua, liber?
 An magnas Vrbes, & magna palatia quaris,
 Cū te non capiant paruula tecta domus?
 An cupis Augustum latē volitare per Orbem,
 Angustas fugiens incoluisse casas?
 Quaque velis protende pedē, concedimus ultrō,
 Attamen hoc unum pectore fige tuo:
 Si teneros artus, & mollia corpora linor
 Dilaceret, taciuss vulnere dira feras:
 Si quis praestiterit plausus, & munera laudis,
 Despice; non etenim pramia laudis amo.*

Ignorantia, & Sapientia.

244.

*Hac facit extinctos longum vixisse per æuum;
 Illa facit viuos desidiōsa mori.*

De suis amicis.

245.

*Quos habeo socios, duo sunt cū Castore Paulus;
 Ille etenim sapiens dicitur, iste probus.*

F 2

Ad

Ad Postumum. 246.

*Postume, quid vocē replicas in carmine, demum?
 Quid tibi vox, demum, semper in ore sedet?
 Lingua refert, demum, calamus dat, Postume, de
 Nil nisi vox, demum, syllaba qua; tua est: (mū:
 Sapius in carhis, demum, inseris, atq; libellis;
 Heu demum subeas ultima fata velim.*

Laurentius Romanus. 247.

*Laurenti par nomen habet Romanus Ibero,
 Sic lateri flammis sentiat iste pares.*

Nesij tumulus. 248.

*Heu lachrymas mæsto spargat Prudentia vultu,
 Heu Fas, & Rectum diruat ungue genas;
 Heu mores tumulo properet, & tristis Honestas
 Heu properet Pietas dilacerata comas:
 Hæc situs est Nesius. Iusti Moderator, & Equi,
 Qui fuerat morum Norma pudica puer:
 Sic est vel rectus, vel vicius, Hospes, iniquus,
 Accipiet cineres flebilis Urna tuos.*

Ad

Ad Simplicianam. 249.

*O Venerum vultu pulcherrima, digna procerum
 Coniugio, thalamos digna subire Iouis:
 Non sic Penelope charo fulgebat Vlyssi,
 Non sic Troiugeno grata Lædaa viro;
 O qua stant Charites nitida sub fronte lepores,
 O qui stant labris, Simpliciana, tuis!
 Cernimus, è niveo surgunt incendia vultu:
 Vna eadem recreas, vna eademque noces.*

Ad Paulum. 250.

*Quid flumen patrio pingis sub stēmate? mergi
 An quia debueras flumine, Paulc, tuos?*

De libro Quodam. 251.

*Versibus argutis, & carmine scripserat Ollus,
 Quem Mundum quidam dixerat esse librū:
 Attamen est unum dispar: sunt quattuor Orbi,
 (Ignis, & Vnda,) duo sumi Elementa libro.*

Senectutis gemitus. 252.

*Cum tener annorum nobis floreret Aprilis,
 Et pubescentis tempora Veris erant,
 Palladis ingenue dulces despeximus Artes,
 Nec studij ad laudes Gloria calcare erat:
 At nunc conquerimur confecti corpus ab ævo,
 Sic error serò nos sapuisse facit.*

Ad Lælium Ferri. 253.

*Obriguit, Læli, quod dat cognomina, Ferrum:
 Sic, Læli, mores obriguere tui.*

Neronis tumulus. 254.

*Quæ vicina vides pendentia Mausoleo
 Marmora, Romulei Cæsaris ossa tegunt;
 Hic Nero, qui patriæ quondam saeuissimus hostis
 Obrigit saxo par, similisque suo.*



Ad

Ad Galliam Coda. 255.

*Castalios hausi puro de fonte liquores;
 Sum Vates, repetit Gallia sæpè die,
 Intèr Apollineas ego Gloria prima cohortes,
 Nullus erit, superet qui mea pleetra sono:
 Grator Ascreis non est sub montibus vllus,
 Non est, qui grato dulcius ore canat;
 Ex alijs Phæbo dilectior vna puellis,
 Charior Aonijs nostra Thalia choris:
 Quid tantum Vatem te demonstrare laboras?
 Vna mihi qui sis, Gallia, cauda notat.*

Ad Postumum. 256.

*Omnigeno quid te iactas sermone disertum?
 Postume, nescire est, omnia nosse, reor.*

Ad Harpalum Bello. 257.

*Bella tibi facies, belli sunt, Harpale, mores:
 Quidquid agis, bellum est, Harpale quidquid
 Sic bello dum bella tibi sunt omnia, nobis (habes:
 Et vultu, & facie nil nisi bella moues.*

F 4

Ad

Ad Iulium. 258.

*Quid iuuat ingētes super athera tollere moles?
 Quid fragiles Iuli, construis arte domos?
 Plurima quid prosūt placidos diffusa per agros
 Prædia? quid multas Arca recludit opes?
 Virtutes cura, studijs ditescere mentem
 Sit labor; has unas semp̄r habebis opes:
 Cetera, qua spectas propiora palatia Cælo,
 Post aliquot, Iuli, sæcula, puluis erunt:
 Vna domus Virtutis erit, qua vixerit annos
 Perpetuos, uni sæcula nulla nocent.*

Ad Amicos. 259.

*Corpora amicorum duo sunt, at spiritus vnus:
 Spiritus est vobis vnus, & vna caro.*

Ad Lectorem. 260.

*Si nimio sermone cupis proluxa, libellum,
 Hunc legito, & totum dextera voluat opus:
 Si breuiora cupis, librum vel perlege nostrum,
 Claudit enim paruo carmine parua liber.*

De

De Alterio Oratore. 261.

*Prædicat Alterius postaque coronide dictis,
 Veste sibi triplici corpus, & ora tegit:
 An timet ille, puzem, frigescere? fallor obūbrat
 Ora rubor, puduit dicere semp̄r idem.*

Ad Galliam. 262.

*Misti nup̄r tu, Gallia, massica nobis:
 Castalij dedimus nos tibi, fontis aquas.*

Ad Charinum. 263.

*Fingis quòd sapias nihil, Charine,
 Fingis grammata quòd, Charine, nescis,
 Fingis Rhetoricas, Matheosque
 Artes, Astronomasque disciplinas,
 Et quidquid veteres docent papyri,
 Et quidquid Latij docent libelli,
 Sed cesses simulare, desinasque
 Posthac dicere, quòd nihil sapisti,
 Nam verè rudis es, nihilque nosti.*

Ad

Ad Cœsarem. 264.

*Cæsar es, at mores non sunt tibi Cæsaris, illi
 Nomine, non parilis dæceris esse manu;
 Et gladio, & calamo Cæsar fuit optimus; at tu
 Pessimus es gladio, pessimus es calamo.*

Ad Sabellium. 265.

*Qui de Consilio loqueris, sermone, Sabelli,
 Consilij monstras nil habuisse tuo.*

Ad Sextum. 266.

*Irrides, lusuque vocas me, Sexte, beatum,
 Et dicis quòd iam vidimus ore Deum;
 Sacra reuelarunt mihi, qua mysteria, poscis,
 Ad nostram è Cælo Numina lapsa domum?
 Scilicèt hoc unum dixerunt Numina nobis,
 Inferni mox te ceperit atra domus.*



Ad

Epitaphium Coniugis. 267.

*Marmora, qua spectas, vultu lachrymâte, Viator,
 Prætereas; tumulum flebilis vnda decet:
 Hic genitrix miseranda iacet cū prole, maritus
 Transfodit iugulum nupèr utrique suum:
 Non meruere mori; castissima iura pudoris
 Seruarunt; fuerant Religione pares:
 Causa tamèn tanti sceleris, lethiq; requiris?
 Barbaries saui Coniugis vna fuit:
 Da lachrymas; indigna licèt sint funera, fletus;
 Qua mereat, digna est funeris urna, tuos.*

Amfibaci potoris Epitaphium. 268.

*Hic iacet Amfibacus gratissima cura Lyæi:
 Quare obiit, rogitas, hospes? aquam biberat.*

Ad Sempronium Saffone. 269.

*Præbuerant que saxa tibi cognomina, monstrât
 Par tibi vel saxis obriguisse Caput.*

Ad

Ad Dominicum de Paulo. 269.

*Præbuit Hispanus tibi nomina, Paule, merebas:
Sed tribuat pariter stemmata, Paule, meres:
Scilicet ille Canem, laceret qui viscera morsu,
Et qua comburat, præbeat ille facem.*

Ad Marianum. 270.

*Nil Marianus habet, dives tamen ille vocatur;
Sic dives semper sis, Mariane, velim.*

Ad D. D. Ludouicum N. vt bellum
Turcis moueat. 271.

*Eia age bella moue, par est, Ludouice; triūphos
Qua pariat, ferro Thracia Luna cadat:
Magnanimos absconde tuos sub caspide crines,
Martia belligero fulgeat ense manus;
Arma moue, quid iners tātūm fera bella mora-
Sub pedibus pereat barbara terra tuis: Iris?
Nil timeas, animos faciet, Ludouice, furenti
Sub gentilitijs qui tomāt ore Leo,*

Ad

Ad Cæcilianum de Orlando. 272.

*Quid dedit Orlandus cognomina noscere vellē:
Aut quid de tanto milite nomen habes?
Ille suos cum lite dies traduxit in armis;
Tu patriæ viuus sed sine lite domi:
Ille manu Victor gladium tractauit, & ensē,
Tu calamum tractas, Cæciliane, manu;
Sed sint dispariles mores; par nomen utrique
Debuerat meritō, Cæciliane, dari:
Ille etenim miles fuerat, sed maximus armis;
Rhetor eras, sed tu maximus ingenio.*

Ad Antonium. 273.

*Colligis, Antoni, nullos in vertice crines,
Hinc tibi quis rasum deneget esse Caput?*

Ad Lælium de Petra. 274.

*Quā tua præferunt, Læli, cognomina Petram,
Est desiderij meta suprema mei.*

Ad

Ad Ponticum. 275.

*Carmina nos dedimus, cum simus, Pontice, Vates;
Et lepidos dedimus, munera grata, iocos:
Sed tu, cum dives sis, Pontice, mittere nobis
Non auri pigeat munera parua: decet.*

Ad Postumum sub Martij
mense natum. 276.

*Debuerat tribuisse Aries tibi, Postume, cunas;
Monstrat adulterium coniugis, Hircus eras.*

De Paulo, & Fabiano. 277.

*Confidicus Paulus, Medicus Fabianus, uterque
Non habuit quid agat, pallet uterque fame:
Sed febris Paulo veniat, sed suscitet haeres
In rebus litem iam, Fabiane, tuis:
Sic litem alterius, fuerit qui finiat alter;
Sic febrim alterius, qui leuet, alter erit.*

Ad

Ad Ollum. 278.


*Tu recitas, recito; tu cantas carmina, canto
Carmina; tu Vates diceris, Olle, & ego:
Hoc vnum est dispar nobis, tu carmina scribis,
Ast ego non scribo carmina, sed facio.*

Ad Harpalum. 279.

*Qui gestu, & verbis fueras grauis, Harpale, ma
Rem facies, si non es leuis ingenio. (gnã*

Ad Sabellium. 280.

*Pingitur obtectis oculis Astrea, Sabelli,
Sed merito, lances substat aqua suas:
Sic pariter pingenda foret Sapiencia labris
Oppressis, nimium qui tacet, ille sapit.*




Au-

Author de se ipso. 281.

*Quòd Tyberim peterem, sacraeq; palatia Roma,
Et Vaticanì mœnia celsa soli,
Postumus nupèr multo sermone suasit,
Et quòd sit nobis vtile monstrat iter:
Roma etenim sola est genitrix, & Mater Hono-
Romanas habitat Gloria certa domos; (rũ,
Tarpeias Arces Fortuna superuolat alis
Aurea, & in nimbos prodiga spargit opes:
Plausus, Fama, Decus Latium coluere, sibi que
Perpetuas illic constituere domos:
Audiui; sed pauperies inuauit vnica, dixi,
Despicimus quidquid Roma dedisse potest.*

Ad Bythinicum . 282.

*Quòd nostros carpas semper, Bythinice, versus
Non est Iudicij causa, sed Inuidia.*



De

De Basso Aulico. 283.

*Inuidus, inspiens, verbosus, perfidus, audax,
Sacrilegus Bassus, luxuriosus homo est:
Contemnit, ridet, lacerat, fastidit, adulat,
Sed cur hæc faciat queritis? Aulicus est.*

Ad Castricum. 284.

*Dignus homo es, dicunt omnes tibi, Castrice; sed
Dignus eras, poscis, Castrice? supplicio. (quo*

Ad Marianum. 285.

*Historias omnes, omnes, Mariane, libellos
Mente tenes; legum dogmata cuncta sapis:
Attamen hoc memori de pectore decedit vnum;
Nuper eras Custos quòd, Mariane, suum.*



G

Ad

Ad Lectorem. 286.

*Invidus es, nosco, quisquis mea carmina voluis,
Et laceras, nosco, qualiacumque legis,
Sed meritò laceras mea carmina. Liuide, quando
Ausâ tibi sunt cor dilacerasse prius.*

Ad Fabullum. 287.

*Emisti teneras, Fabulle, nugas,
Et nostros lepidos sales, iocosque,
Errasti nimium, Fabulle, dicam;
Emisses melius merum bibendo.*

Democriti, et Heracliti tumulus. 288.

(pulchrum,

*Quisquis es, aut lachrymis, hospes, venerare se-
Aut risu tumuli marmora parua velis,
Hic Heraclitus, iacet hic Democritus: ambo
Et risû, & lachrymas antè sepulchra rogât:
Iste meret lachrymas, quoniã deriserat omnes,
Risum, omnes quoniam fleuerat, ille meret.*

Coc-

Cociliana de Marmore. 289.

*Qua noua diuino de marmore spirat imago?
Qui lapis expresso fœtalis ore micat?
Agrosco: qua me gaudet comburere vultu,
Fœtalis in saxo Cœciliana nitet:
Quòd lapis ignitus sit Sol, quis deneget unquã?
En qua Sol fuerat, transijt in lapidem.*

Ad Lælium. 290.

*E' Cruce, qua patrio fulget sub stemmate, Læli,
Debuerat corpus pensile stare tuum.*

CHRISTVS de Cruce. 291.

*Ora cruentatus picto de stipite Christus,
Sanguineo ex oculis imbre cadente, gemit:
At quid spargit adhuc per læguida mœbra cruo-
Vt possis culpâs erubuisse tuis. (rẽ)*

G 2

G 2

De

De Pamphilio Poeta. 292.

*Pamphilius fuerat non ultima Gloria Vatium
 Rarus ab ingenio, rarus ab arte lyrae,
 Scripsit opus cedro dignum, sua fama per Orbem
 Creuerat immodicis laudibus aucta suis;
 Hinc dat Pamphilio quamplurima dona Poesis,
 Credite, diuitias, praedia, rura, casae:
 Quis neget Amphion sonitu, quod cōdidit Urbem?
 En sonitu plures fabricat iste domos.*

Ad Lælium. 293.

*Quid te Musarum, Leli, prosteris amicum?
 Vnica Musarum syllaba prima tua est.*

Ad Postumum. 294.

*Cum quo dormitem? noctu mihi, Postume, dicis;
 Cum quo dormitem? Postume, manè rogas:
 Cum quo dormitem vis noscere, Postume? dicā:
 Coniuge cumque tua, cumque sorore tua.*

Ad

Ad Sempronium. 295.


*Cum tibi, Semproni, reddat duo millia census,
 Impendis quarè millia quinque? rogo:
 Scilicet exiguum quamuis dent fœnora lucrum,
 Quae tibi plus reddant, impia furta facis.*

Ad Iulium Ordei. 296.

*Ordea, quae replent Asinos, quid nomine claudis?
 Annè Asinus fueras? annè iumentus eras?*

Ad Postumum. 247.

*Inuidia qui sit Genius nūm, Postume, nescis?
 Inuidia mores, Postume, nonne sapis?
 Inuidia ad gemitus gaudet latissima nostros,
 Inuidia ad nostri gaudia, mæsta gemit.*



G 3

De-

Detestatur Amores. 298.

*Quid sequor infelix dura Cythereidos ignes?
 Quid miser ulterius Cypria castra sequor?
 Ex animis abeat tādē Venus improba nostris,
 Nec cruciet facibus pectora nostra suis:
 Frangat Acidalias pharetras, & tela Cupido;
 Fixit amatorem dura sagitta satis:
 Qui Venerem dicit medijs de fluctibus ortam
 Decipitur, nata est, dicat, ab igne Venus.*

Ad Ignatium de Furestis. 299.

*Fur est is: monstrant nobis cognomina: pœnas
 Quas dederit? damnat nomē, in igne cadat.*

Ad Marcum. 300.

*Si dolor, & febris vexet mihi pessima corpus.
 Sume animos, nihil est, dicere, Marce, soles:
 Hinc nihil ipse pati quò possis, Marce; rogabo
 Quòd vexet vel te pessima, Marce, febris.*

Ad

Ad Ponticum de Crispo. 301.

*Iuridicus fuerat, nunc fur est, Pontice, Crispus:
 An credis mores deposuisse suos?
 Quidquid Iuridicus verbis venalibus antè
 Fecerat, ille manu nunc rapiendo facit.*

Ad Cæcilianum. 302.

*Quòd me sapè spuas, causā vis noscere? crassum
 (Crede) tibi fuerat, Cæciliane, caput.*

Flores propè Sepulchrum. 303.

*Quid flores propè busta volūt? quid ferta sepul-
 Et tumuli cineres luxuriosa tegūt? (chrū,
 An quia ceu flores fato marcescimus omnes,
 Et tumulum subito funere quisque subit?
 An quia vel quando florenti sanguine vita est,
 Tunc humeros propius funera nigra premūt?*



G 4 Ad

Ad Puerum. 304.

O charitum soboles, gratissimus ardor Amorum,
 O Venerum dulcis cura, laborque Puer;
 Tu fax, tu cordis non ultima gaudia nostri,
 Cui teneras pingit candida Flor a genas,
 O quas delicias! o quos sub fronte lepores!
 O qua sub placidis dulcia dicta labris!
 Non sic dulce scunt stillantia munera mellis,
 Non sic ambrosia consapere dapes:
 Aspiciamus, languent animi; sunt esca doloris
 Quaeque sedent vultu gaudia, quaeque genis:
 Delicia torment a ferum (quis crederet unquam?)
 Et mihi de dulci toxica melle fluunt.

Ad Laelium. 305.

Rara tibi, Lali, refluit facundia labris,
 Rarus & ambrosio pendet ab ore lepos:
 Incerti, dubij que sumus, num Tullius olim
 Eloquio fuerat maior, & ingenio.

Ad

Ad Castricum. 306.

Eloquij Deus es, dixit tibi, Castrice, quidam;
 Hinc te vel dicit caetera turba Deum:
 Ara tibi ponenda foret pro Numine, qualis
 Ara Ioui fuerat, cornibus illa frequens.

Ad Tuccam Montangelo. 307.

(quid
 Dic, rogo, cognomen quid praeiit Angelus! &
 Cognomen pariter mons tibi, Tucca, dedit &
 Scilicet ille notat quod sis castissimus; at mons
 Quod fueras altus, denotat, ingenio.

Ad Ponticum. 308.

Qua bene quod medio sis natus mense Decēbris,
 Et solis natus diceris esse die:
 Eclipses dedit iste suas tibi, Pontice, monstrās
 Quae scribis; calamo praeiit ille gelu.



Ad

Ad Oratorem. 309.

*Pulpita Romulea Cicero transcendat Urbis,
Sed tu Sirenium pulpita digna premis:
Ille perorabat magni propè Tybridis undas,
Tu propè Sebethum dogmata sacra doces:
Eloquij dictus fuerat pater ille per Orbem,
Tu nobis ipsum diceris eloquium.*

Ad Iulium. 310.

*Barba tibi nosco, Iuli, stat plurima mento;
Sed non Barba, tibi debita Barba foret.*

Ad Lælium. 311.

*Dum me Grammaticus vellet malè carpere, Læli,
Mille solacismos barbara lingua tulit:
Hinc alios noli lingua fedare veneno,
Sapiens Authori fusa venena nocent.*



Lucij tumulus. 312.


*Hoc iacet exiguo sub marmore Lucius, olim
Qui fuerat gentis gloria prima sua:
At tu, qui tumulū spectas, & triste sepulchrum,
Disce; Cinis, velut hic, tu quoq; parvus eris.*

Ad Ponticum. 313.

*Quid mihi Pompilij dent funera, Pōtice, quaris,
Hoc mihi Pompilij funera dant, lacrymas.*

Vita humana. 314.

*Omnia pratererunt, ventus sunt omnia, fūnus
Gaudia; nos pariter pulvis, & aura sumus;
Nil sunt divitiae, nil est quoque ditibus aurum;
Mors etenim ferro proteret omne suo.*



De Paulo. 315.

*Ætas prisca file crudelia facta Neronis,
 Sacrilegum noli commemorasse scelus:
 En eadem renouat nobis fera crimina Paulus,
 Ille etenim matrem perdidit, iste patrem.*

Ad Postumum de Fabiano. 316.

*Quod Fabianus eques fuerat cū, Postume, dixi,
 Erraui; fuerat nam Fabianus Equus.*

Ad Sempronium. 317.

*Numinis egregio pro vertice pingere Cælum
 Niliaci fuerat mos, genusque soli:
 At si te vellet, Semproni, pingere, credo
 Quod tibi pro dnro vertice saxa forent.*



Cæcilianæ tumulus. 318.

*Hic ubi cōspicitis de marmore triste sepulchrū,
 Conservat cineres Cæciliana suos:
 Æmula Penelopæ primos traduxerat annos,
 Pulchra fuit, rarum! credite; casta fuit.*

Ad Lælium. 319.

*Iure quidē tamuli sunt de marmore, Læli,
 Sic nostris precibus funera dura docent.*

Euadne. 320.

*Mirus Amor! miranda fides! nil territa flāmis
 Euadne voluit coniugis igne mori:
 Quæ thalami thædis viuendo exarserat uxor,
 Debuerat flammas vel moriendo pati.*



Ad Sempronium. 321.

*Tu mihi Romanis Epigrammata mittis ab oris,
 Ast ego de tuguri culmine mitto librum:
 Sic tua nos legimus, tu carmina nostra: legenti
 Dic, roge, Semproni, quae meliora placent?
 Vrbis quāvis vincit tuguri, puto, culmina: iātūm
 Carminibus vincis carmina nostra tuis.*

De Prisco, & Mario fratribus. 322.

*Si Priscū, & Mariū fratres spectabis, Abelus
 Ille tibi fuerit moribus, iste Cain.*

De Postumio. 323.

*Qui vultu niteant sereniori,
 Quae gestu placeant amœniori
 Habet Postumius domi ministros,
 Habet Postumius domi puellas:
 At cur id faciat, rogas & fatebor:
 Igne Postumium scelestiori
 Vrit pessima pessimum libido.*

De

De Papilio maledico. 324.

*Sparfos vipereo iocos aceto,
 Sparfos tartareo sales veneno
 In me Papilius malus Poeta
 Scribit dentibus invidis, legitque
 Apud Grammaticosque, Rhetoresque,
 Carpit carmina, viuidosque versus,
 Epigrammata carpit, & libellos,
 Et quidquid calamo iocante scribo:
 At quid Papilio Iouem rogabo?
 Et quod supplicium petam, putabis?
 An Ixionis, an Prometheique
 Pœnas imprecer? an sitim, famemque
 Postcam, quam patitur, iubente Cælo,
 Clausus carcere Tantalus sub Orco?
 Nequaquam: superos rogo, senectam
 Vel viuat Pylīque, Nestorisque,
 Nam sic Papilius diu Poetam
 Mordebit lepido, maloque versu.*



Ama-

Amasius Veneris effigie comburit. 325.

*I nunc effigies, i nunc crudelis imago,
 Qua paphia vultum claudis, & ora Dea,
 Inunc, & meritas flammis patiare; superstes
 Sit cinis è toto corpore, fœda, tuo:
 Ardeat igne Venus, medijs cadat obruta flâmis,
 Sentiat ultrices infidiosa focos:
 Cõuenit, & fas est; pereat semel improba flâmis
 Qua me perpetuo coxerat igne Venus.*

Deus sub Eucharistia. 326.

*Iure Deus tegitur panis sub imagine: vita est
 Hic etenim nostri corporis, ille animi.*

Ad Harpalum. 327.

*Quæis aperit tua dextra domũ, gerit, Harpale,
 Põtificis clauis, sed gerere illa meret. (clauis)*

SIC

De

De suis libellis. 328.

*Scribimus, & surgit nullus de carmine plausus;
 E' Musis nobis fama nec ulla venit:
 Nõ quia qua facimus, sicut pessima carmina; Phœ-
 Dictat enim calamo carmina digna meo; (bus
 Sed quia uiuit adhuc stabilis mea vita; sepulchrũ
 Nec subij, extinctos plaudere Fama solet:
 Gloria post cineres Vates comitatur: Honoris
 Perpetui lucem funeris umbra parit.*

Ad Iulium. 329.

*Parua rogas, Iuli, sed munera parua negau;
 Non quia non habui, sed quia parua rogas.*

Ad Cæcilianum. 330.

*Antra quid ilicibus quercuq; frequentia demõ,
 Et Syluas habitat, Cæciliane, rogas:
 Materies fuerit sic scilicet aptior, ex qua
 Crux fiat, sceleri debita pœna tuo.*

H

De

De Postichio Medico. 331.

Corporis humani partes cognouerat omnes
 Postichius Medica rarior Artis Honor,
 Sanguineas, albas, solidas, partesque fluentes,
 Qua corpus faciunt, constituuntque, sapit:
 Qua recipit, nec contribuit pars cognita tantum
 Non est Postichio, cetera clara patent:
 At qua sit Vatem pars hac quaritque, rogatque,
 Sed dixi, pars hac est tua macra manus.

Ad Paulum. 332.

Qui natus fueras sub signo, Paule, Leonis,
 Dic rogo cur canibus dilaceratus obis?

De Iudæ Imagine. 333.

Barbara de trahibus Iudæ pendebat imago,
 Sed facta est subitis ignibus illa cinis:
 At Iudas meruit, quas nunc sentiuit imago
 Flammas, cum Dominum proderet ille suum.


Ad

Ad Petrum Casaburi Poetam
 eruditissimum. 234.

Amor Aonidum, Laus ò non ultima Vatum,
 Qui magnam Hetrusco carmine scribis opus:
 Scribis opus, quod nulla unquam deleuerit aetas,
 Nec rabido tempus roderè dente potest:
 Obueras habuisse Casam cognomine, quando
 Sirenium fueras, Pieridumque domus.

Ad Eundem. 335.

Cælo quotquot fulgent nitidissima vultu
 Numina, seu Martis Numina, siue Iouis,
 Perpetuas, certasque casas habuere, domosque,
 Astrologi dicunt, Astronomique docent:
 Ne Casam tribuere tibi cognomina, dicam,
 Numen enim fueras, Castalidumque Deus.



De Vrbe Veneta fundata die Annun-
ciationis Beatæ Virginis. 33

*Vna dies Vrbs Veneta fundamina nasci
Vidit, & in medio mœnia fixa maris;
Vna dies pariter vidit descendere ab asteris,
Et clausum in gremio Virginis esse Deum.
As cur conceptus Deus est, Vrbs nata simulque
Ille hominã Caput est, hac Caput Orbis era*

De Eadem.

*O Vrbs nobilior, decentiorque,
Op'astantior omnibus, Leonem
Quid pro stemmate pingis? an ferarum,
Vt R x dicitur ille, fortiorque,
Sic in diceris Vrbsium vel esse
Regina, & valido superbis ausu?*



Ad Illustriss. D. Antonium de Nigris ex nobili-
bus Venetis, & Venetæ Reipub. Residentem,
optimum, & à secretis, cui Theologicæ
Theses dicatæ fuerunt flores Theologici
nuncupatæ: alludit Author ad fidera
sui stemmatis.

*Ambiguus animis fueram suspensus, & anceps
Cui potius florum hac munera parua darem,
Vt tamèn aspexi tua stemmata clara triumphis,
Et famam, & nomen non sinè laude tuum,
Accipe pacato, dixi, mea munera vultu,
Antoni, & noli spernere dona, rogo;
Heroi florum sumi debita ferta, merenti
Ego tibi cingant florea ferta comas,
Invidia Victor nobis videaris, & Orbi,
Emeritos crines flore tegente tuos,
Et dum difficiles me spectas ire per undas,
Et rudis ingredior nauta sinè arte mare,
Protege me, duros scopulos infrange, procellas
Comprime, nec iaccam turbine mersus aquis:
Sidera, quæ monstras patrio sub stemmate, potiù
Felici faciant me tetigisse rate.*

De Romana, & Veneta Vrbe. 339.

*Quod regit, Imperij confinia sparsa per Orbem
Vidit, & attonito Iuppiter ore stupet,
Miratur terras Domino sub iure Quiritum,
Miratur Venetis subdita regna maris,
Romanã & Venetã tandem dum cõparat urbem,
Illa Orbis Caput est, dixit, at ista Maris.*

Ad Fabianum.

140.

*Fecisti, Fabiane, breuem rapiendo Draconem,
Ille breuem faciat te, rapiendo pedes.*

De Postumio Rescio ad Fabianũ. 341.

*Res scio Postumius dicit cognomine; sed quas
Res sciat, inquiris, vel, Fabiane, rogas?
Scilicet & furem te nouit. & ille latronem,
Et scit quod laqueo mox periturus eris.*



Ad

Ad Deiparam Virginem. 342.

*Alma parens, custosq; hominum, cui cõtigit vni
Claudere materno viscere posse Deum,
Accipias lato, vellem, mea carmina vultu;
Subdimus illa oculis qualiacumque tuis,
Ipsa meos primos ne dedignare labores,
Sed foueas, primum quod mihi surgit, opus:
O me felicem, fortunatumque tueri
incipias si me Numine; Diua, tuo:
Tũc humiles, paruosq; animos grãdescere cernã,
Et dabo Maonio carmina digna choro:
Nec me despiciet Sulmo, nec Mantua Vatem;
Æquabo lauros, Bilbilis alma, tuas.*

Fabricij tumulus.

343.

*Qui iaceat paruo tumuli sub marmore quaris?
Hęc est Fabricius, fallimur, inuidia est.*



H 4

De

De Augustissimo Eucharistiæ
Sacramento. 344.

*Magna Syracusis cœna est instructa Tyranno,
Quæ sit Democrito deliciosa seni:
Prandia Tantales quondam cœnamq; superbâ
Apposuit; retinet fabula vana fidem:
Regia mortalis doceat conuinia luxus,
Sit gula in ambrosias ingeniosa dapes,
Maior erit cunctis diuini cœna Tonantis:
Hic est conuinis nobilis esca Deus.*

Ad Luciferum superbientem. 345.

*Quò malefane ruis? Cœlo quid pralia tentas?
An poteris superos edomuisse choros?
Quæ rabies animos agitat? quæ pectus Erymnis?
Quid tua fulmineo dextra mucrone furit?
Vnus an angelicas audes regulare phalanges
Subditus alterius legibus ipse minus?
Si Caput haud pateris, gladium depone superbû,
Lis cadat, ecce tibi desijt esse Caput.*


Gal:

Gallorum augurium. 346.

*Hesperias capiet Gallus, si pralia tentat,
Fatidicus iulerat nuper ab ore senex:
Credidit, Ausfriaco tentat fera pralia Gallus,
Hesperias habuit funeris ille sui.*

Ad Postumum. 347.

*Gaudentes ambo, felices viuimus ambo,
Tu diues dicis viuere, diues ego:
Annua mille mihi reddit sestertia census,
Tu quoque de censu, Postume, mille capis:
Turba iuuentorum tondet tibi prata per agros,
At multum nobis replet ouile pecus:
Rura tibi, sunt rura mihi, tibi pradia, nobis
Pradia: sic parili conditione sumus:
Attamen hoc nobis dispar fors præbuit unum,
Seruus eras nam tu, Postume, liber ego.*



De

De Flacco. 348.

*Nil bibo, Flaccus ait, fastidio dona Lyæi;
At centum biberat pocula plena mero:
Nulla tamèn dicit nobis mendacia Flaccus,
Cum bibit ille aliquid, pocula mille bibit.*

Phyllis gladium mittit amanti. 349.

*Quid Calybem nobis crudelia munera Phyllis?
Quid gladium dederat, barbara dona, rogo?
Anne suos tribuisse negat mihi, Phyllis, amores,
Et sic dum ferrum mittit, ait, morere?*

Ad Poggium. 350.

*Post mensas totus friges, post fercula totus
Cont remis, & subito percutit ossa gelu:
At cur contingat frigus vis, Poggie, dicam?
Pœnitet appositos deseruisse cibos.*



Dis-

Difficilius est discere, quàm dediscere
Ad Cæcilianum. 351.

*Discere difficile est, leuius dediscere, utrumque
Testantur mores, Cæciliane, tui,
Omnia pertentas cognoscere, discere velles
Omnia, nil superest, quod sapuisse negas:
Dic aliquid? quaro: nihil est, quod dicere possis,
Attonito similis, Cæciliane, stupes:
Sic qua nouisti post tempora longa laborum,
Omnia puncto vno dedidicisse probas.*

De Alterio. 351.

*Prædicat Alterius semper sub vespere, manè,
Prædicat & nocturn, prædicat ille diu:
At quid censetis quod prædicet ille? bibendum
Sci licet assiduo prædicat ille merum.*



Vir.

Virgilij tumulus. 353.

*Hic ubi conpersum lachrymis fatale sepulchrū,
 Et stant de pharijs marmora cæsa ingis,
 Hic ubi conspicui venerabilis urna pheretri
 Erigitur tumulis inuidiosa Ducum;
 Hic ubi conspiciatis cineres, & flebile funus,
 Ossaque funerum frigida claudit opus,
 Mantoæ Siren dulci comitata Poesi,
 Et Decus Aoniidum, Castalidumque iacet:
 At non Ecclipsim patitur, nec temporis umbras,
 Cui dat perpetuas Troia perusta faces.*

Celanus anagramma Ancelus. 354.

*Ancelus es, resonat cognomen, at Angelus esses
 Si tibi, quæ deerat litera, sola foret:
 At quantum Angelico distas à nomine, tantum
 Angelico distas clarus ab ingenio.*



De

De Paulo. 355.

*Quantumuis Paulo nervos contraxit, & artus,
 Et grauis inflexit morbus ad ima caput,
 Magna tamèn residet malefana superbia menti,
 Sic caput elatum nunc quoque Paulus habet.*

Ad Fabianum. 356.

*Metra facis, fateor; fateor, Fabiane, peroras;
 Carminibus doctus, doctus es eloquio,
 Nescio cui similis sis carmine, nescio lingue
 Munere cui faciam te, Fabiane, parem:
 Orator, dicam, superas vel scripta Maronis:
 Carminibus, dicam, vel Cicerona preïs.*

Ad Academicos. 357.

*(nosco:
 Quid Mare? quid Naniū faciunt Emblemata?
 Illud enim instabiles vos notat, ista leues.*



Ad

Ad libram suam. 358.

Fortunate liber, plausus, famaue theatrum
 Iamque aperit pedibus Gloria fida tuis;
 Vade, nec inuidia timeas crudele venenum,
 Nec tibi qua liuor barbara tela parat:
 Vulneca quaque, rogo, vultu patiare libenti,
 Nec tibi displiceat toxica dira pati:
 Inuidia ad calybes gaude, latere, triumphā,
 Inuidiam sentit qui liber, ille placet.

Erubuit? saluus est. 359.

Errauit puer & lachrymas diffundit? habeto
 Pro saluo, in lachrymis naufragus error erit.

Ad Castricum. 360.

Quid facit horrētē squamis tibi stēma draconē,
 Castrice, thesauros, qui premit ungue tenax?
 Diuide stēma, rogo, draco sit tibi, Castrice, malo;
 At mihi thesauros, Castrice, cede tuos.

De

De Paulo. 361.

Funeris extremi Paulus iam stabat ad horas,
 Quo nil pauperius, sordidiusque nihil:
 Attamen heredes pueros ex asse reliquit,
 Sed cuius, rogitas? criminis ille sui.

Ad Lectorem. 362.

Cum noster lepidos sales libellus,
 Lector, non habeat, petis, rogasque
 Cur praelo dedimus? fatebor; illo
 Legi, qui sapiunt minus, libellos.

De Faustino Iuridico, & Ollo Poeta. 363

Iuridicus diues, Vates fit pauper; & aurum
 Non utrique dedit sortis iniqua manus:
 Faustinus gaudet cum coniuge, litigat Ollus;
 Ille etenim multum cœnat, at iste nihil.
 Prodigium! lites illi pepere quietem,
 Huic lites peperit Castalis alma quies.

Ad



Ad malum Poetam. 364.

*Carmina nulla facis, nisi sint ea turgida verbis,
 Quæ renouant sonitu rancida secla suo:
 Persius è tumulo nobis rediisse videtur,
 Atque iterum surgunt tempora Pacuui;
 Sed qui sic scribis, non mulces pectora, terras;
 Quidquid enim scribis, triste cadaver erat.*

De Natali D. Ioannis Baptistæ. 365.

*Sacra Deo veneranda facit de more Sacerdos,
 Thurea dat Cælo munera, vota, preces,
 Aliger en illi missus prædicit, ut infans,
 Quem pareret, toto magnus in Orbe foret:
 Obstupuit senior, dabiasque in pectore curas
 Concipat, & dictis credidit ille minus:
 Obmutuit, medijsque stetit vox territa labris,
 Quàm benè, si nondum vox erat orta, silet.*




Ad

Ad Bartholomæum. 366.

*Dives eras, tota notissimus Vrbe, nec ullus
 Diuitias habuit, Bartholomæus, pares;
 At modò qua risit vultu Fortuna benigno,
 In gemitus facta est ingeniosa tuos:
 Argenti multum dederat tibi pondus, & auri,
 Et dederat culti iugera culta soli,
 Atria præbuerat tangentia vertice Cælum,
 Et trabibus nitidas, marmoribusque domos;
 Nunc eadem rapuit tibi prædia, substulit aurum;
 Nec superest lectus, nec tibi parua toga:
 sed frustra quereris, quando vel perdere pellè
 Fatalis mos est, Bartholomæe, tuus.*

Ad Ponticum. 367.

*Deciperis se qua donas, te perdere dices:
 Mains enim lucrum, Pontice, nemo facit.*



I

Pen-

Pentapolis Vrbes flammis adustæ. 368.


*Cum Veneris pestis populos infecerat, Vrbes
Et cum fœderat moribus illa suis,
Eccè Deus mittit Cælo de vindice flammæ,
Hinc Vrbs cum populo decidit vsta solo:
O iustas nimium diuini Numinis iras!
O dignum tanto crimine supplicium!
Sic benè punitur gens improba; debuit, inquam,
Pro Veneris fœdis ignibus igne mori.*

Paulum. 369.

*Obuia quæ scribis, sunt optima carmina, miror;
Hac etenim fieri pessima, Paule, solent.*

Ad Crispum de Maino. 370.

*Grāmata sex Asinus, sex grāmata, Crispe, Mai-
Cōtinet, & merito; par erat ille Asino. (nus*



Ad

Ad Fabricium Iurisconsultum. 371.

*Fabricius meritò assimilas tua nomina Fabro,
Estis enim rarum Iuris vterque decus;
Ille fori leges, & dogmata scripserat Author,
Exerces sic tu dogmata sacra fori,
Sed maiora tamèn quantò tibi nomina crescūt,
Tantò tibi maius creuerat ingenium.*

Ad Guzium. 372.

*Optima, quæ scribis, tua sunt epigrāmata, Guzi;
Nam qui nulla facit, deteriora facit.*

Ad Sextum. 373.

*Carmina purpureis tingis tua, Sexte, lituris,
Et tyria libros syndone, Sexte, tegis:
Fulget opus, cedroque madet, nardoque libellus,
At friget quidquid continet ille sinu:
Hinc quotiès voluo tua fulgida carmina, dico
Quòd scriptor bonus es, Sexte, Poeta malus.*

I 2

Ad .

Ad Marianum. 374.

*Sollicitis animis semper, Mariane, laboras,
 Nec partem frustra demis ab hebdomadis:
 Prima dies tota est dulci sacrata Poesi;
 Altera pertractat grande Matheſis opus:
 Invidicas leges, & sacra volumina voluit
 Tertia, Rhetorices dogmata quarta docet:
 Cogitat astrorum causas, sortesque futuras
 Quinta docet pueros grammata sexta dies;
 Ultima iam superest, que septima dicitur, in qua
 Quid facias non est, sed perſe potes.*

Ad Ponticum Orchi. 375.

*Orcus eras: monstrant tua, Pontice, nomina: mores
 Demonstrant pariter, Pontice, porcus eras.*

Ad Candidum. 376.

*Quod fugias semper me, Candide, gaudeo: credas
 Nam fugere hoc non est, Candide, sed furere est.*

Ad

Ad librum suum. 377.

*liber, & felix nostri pete limina Iuli,
 Sat pedibus Iuli limina nota tuis,
 Ast vgi contigeris doctissima tecta, memento
 Laurigeras inter tutius ire domos;
 Ne timeas astris equata palatia, tardos
 Nec teneat gressus forma superba loci;
 Verba meo Vati facias, Dominoque salutem;
 Et referas animo vulnera fixa meo:
 Qua me cumque premat, dicas, Fortuna; nec illi
 Te pigeat curas exposuisse graues:
 Pauperiem narra: dederit tibi munera, & aurum;
 Dona etenim nobis contribuisse solet:
 Sis lacerus quamuis consumptis vestibus, ito;
 Nam tua purpurea syndone membra teget.*

Ad Fabritium. 378.

*Nomina Fabritij deponas, nomine fias
 Febrilius; sic te febris iniqua premas.*

I 3

Ad


Ad Charinum.

379.]

*Cænas sub laribus, Charine, bellis,
Et fulgentibus hinc, & inde: fontes
Iuxtà profiliunt amantiores,
Et dulci resonant fluuntque lapsu,
Et dulci strepitant fluuntque cursu,
Iuxtà fructiferos nitet per Hortos
Autumnus gravidus nimis Lyæo,
Et pomis gravidus nimis; sed intèr
Tot proscenia delicata, & intèr
Tot spectacula, mi Charine, bellè
Cænando, benè non, Charine, cænas.*

Ad Angelum de Simone Oratorè. 380.]

*Simone, anagramma, Omne is.
Cætera dicentium sileat Facundia posthac;
Vnus Is Omne suo claudit in ingenio.*



Ad

Ad Amicum.

381.]

*Ambo sumus Vates, et carmina scribimus ambo;
At non ambo sumus munera ferre pares:
Disticha parua tibi dāt maxima munera: Musis
Disticha maxima dant munera parua meis.*

Ad Ouidium Fameglino. 382.]

*Nil tibi de toto superest cognomine, verum est;
Quàm duplex, Ouidi, syllaba prima: Fames.*

Ad Claudium. 383.]

*Claudus debueras dici non Claudius, inquam;
Nam pedibus fueras claudus, & ingenio.*

Ad Bythinicum furem. 384.]

*Non podager, chirager fias, Bythinice, vellem;
Vna etenim solita est diripuisse manus.*

Ad Lectores. 385.]

*Hac cecini, tumulus me cepit; discite qui nunc
Hac legitis, pariter vos capiet tumulus.*

I 4

Ad

Ad Paulum. 386.

*Appositas intèr mensas, & fercula Paulus
Visus erat mæstis illachrymare genis:
Credite: dira fames cogit plorare quòd omnes
Vno non poterat dente vorare cibos.*

Ad Popilum. 387.

*Infelix semper cur sis vis, Popile, dicam?
Cum concubinis, Popile, vita tua est.*

Ad Fabianum. 388.

*Arma tibi non sunt, cum dicis, falleris, inquit;
Lingua tibi est, alios qua, Fabiane, feris.*

Ad Philomusum. 389.

*Nequidquam noctes totas, Philomuse, laboras;
Non labor, argentum nunc sapuisse facit.*

Ad Alanum. 300.

*Miles es, & malus es; miror non attamen illud:
Nam facile est miles quòd sis, Alane, malus.*

Ad

Ad Cæcilianum. 391.

*Legisti lususque meos, tenerosque libellos,
Sed legi frontem, Cæciliane, tuam:
Consilij insani me corripis; esse lepores
Indignos dicis, ridiculosque iocos:
Id patior: demonstrat enim frons pessima quòd sis
Pessimus invidia, Cæciliane, socer.*

Ad Tuccam de Martino. 392.

*Martinus dici cognomine, Tucca, merebas;
Plura etenim gestas cornua fronte Caper.*

Ad Franciscum. 393.

*Nomina Franciscus tribuit, sed debuit idem
Sigmata, vel rigidam contribuisset Crucem.*

Furianus. 394.

*Et fur, & furia es, monstrat tua nomina, prima
Ultima iungatur syllaba, funus eris.*

Ad

Ad Paulum de Seuino. 395.

*Vnum præ reliquis amo Seuinum,
Sed causam nimij rogas amoris?
Legas posteriore parte nomen;
Vinum diligo, Paule, non Seuinum.*

Ad Ofchum Amore. 396.

*Imponi cognomen Amor tibi debuit, Ofche;
Mater enim Veneri par, similisque tua est.*

Ad eundem. 397.

*Nō cognomē Amor dare debuit, Ofche, sed ignes,
Quos gestat; pereas ignibus, Ofche, meres.*

Ad Gallum. 398.

*Te Papam faciunt mores, cognomina Gallum;
Hinc merito dicam, quod Papagallus eris.*

Ad Alanum. 399.

*Qui gentilitio surgunt super æthera montes,
Ingenio quod sis altus, Albane, notant.*

Ad

Ad Candidum. 400.

*Erravit Muti fortissima dextera; sed nunc
Errorem fecit barbara lingua parem:
Qua tamen erravit manus improba setiit ignē,
Sic ignē digna est barbara lingua pati.*

Ad Eundem. 401.

*Dicere debueras ignitus, at ignitus effers:
Qui linguae errorem corrigat, ignis erit.*

Ad Fratres. 402.

*Tres estis fratres; Paulinus corpore longus,
Postumius verbis, Cinna bibendo merum.*

Ad Lælium Paschale. 403.

*Nomine pinguescis, Leli, sed fronte macrescis;
Hinc dicam quod sis pinguis, & ore macer:*

Coniugum tumulus. 404.

*Vnus Amor fuerat vivis coniugibus; vnus
Extinctis pariter par erat & tumulus.*

Ad

Ad Postumum.

405.

Bonus Grammaticus, bonusque Rhetor,
 Vates, Astrologus vocaris idem,
 Dicis omnia nosse, Tulliosque
 Et doctos Socrates, Horatiosque,
 Necnon ingenio praeis Marones;
 Sic rumor celebrat, canitque laudes
 Tuas, Postume, sic frequentiores
 Te plaudunt socij, probante catu;
 O vulgus nimia loquacitatis!
 O mentes hominum leues! vel unam
 Nescis literulam, tamèn vocaris,
 Atque diceris omnium Magister,
 Vnus omnibus eruditiorque:
 Celum, Postume, testor, & Deorum
 Testor veridicus sublime Numen:
 Nescis grammata, literasque nescis.



De

De Ollò.

406.

Antè focus stabat flammis ardentibus Ollus,
 Vrebat nimius corpora tota calor:
 At postquam agnouit fuerat quòd mortua cõiux:
 Antè focus tremuit, frigus & Ollus habet.

Vita humana.

407.

Aeneas fuerat, fuerat, vel dicimus, Hector:
 Protogenes nihil est, Parrasiusque nihil:
 Vixerunt, nunc umbra iacēt; sic postera dicent
 Tēpora; nā nos qui viuimus, umbra sumus.

Ad Galliam meretricem.

408.

Vix orimur, morimur; sis, Gallia, pulchra; sepul-
 Te capiet; Veneri venerit atra dies: {chrum
 Quid nimio minio iuuat ora pulisse & perisse
 Tempus erit: tandèm fiet Amare Mori.



De

De Acerra.

409.

*Democritus lepidus risit sua tempora vultu ;
Nunc etiam tempus ridet Acerra suum :
Quanam Stultitia est? quam Dementia maior?
Ille malos risit, ridet Acerra bonos.*

De suo libro.

410.

*Deserit exosus iam scrinia nostra libellus,
Ecce petit Mundi magna theatra liber :
Cernat opus, tennes videat quicumque labores;
Candidus ista legat, Liuidus ista legat :
Nā bona, que carpas, sūt, Liuide, carmina; versus
Suntque mali, quos tu, Lector amice, probes.*

Ad Ligurinum.

411.

*Plura loquuturum mihi te, Ligurine, fateris;
Atque vnum hoc repetis terq; quaterque die:
Attamen, ut video, nūquam id praestaueris; ergo
Verba mihi dare vis, an, Ligurine, loqui?*

Ad

Ad Pontanum adolescentem. 412.

*Experior, Pontane, Mare est, an credis? amare;
Hinc Venus è medio dicitur orta mari:
Sic agitor fluctu crudelis amoris amaro;
Est & amatori Vita perenne Mori:
Naufragium tergis instat, Pontane, peribo:
Sed facias Pontem nomine, tutus ero.*

Memento Homo quòd pulvis es. 413.

*Exiguus dederat quondam cunabula pulvis;
Nūc quoq; puluiculus vilis, & umbra sumus;
Quid tantum insanos animos, & pectora tollis?
Pulvis eras, natus puluere, pulvis eris.*

De Piscibus pictis.

414.

*Viderat exigua pictos in imagine pisces
Ludere fallacis per vada picta maris,
Blandita est Natura sibi, quos fecerat Ollus,
Arte suos, pisces credidit illa suos.*

Ad

Ad Horatium Poetam. 415.

*Restituant iterum terris si fata Maronem,
 Quo Duce, perpetuum Mantua nomen habet,
 Vel numeros tunc ille tuos aquaret, Horati;
 Vel numeris victus cederet ille tuis.*

Salomon de marmore. 416.

*Cernitis Augustos phario de marmore vultus?
 Spirat Idumai Regia forma senis:
 Quid nunc marmorea Salomō in imagine? durus
 Illecebris Venerum debuit esse lapis.*

Ad Castricum. 417.

*Qui calybes acuis, dicas mihi, Castrice, quare
 Ingenium poteras non acuisse tuum?*

Ad Antonium. 418.

*Quid notat, Antoni, qui stēmate pingitur Vrsus?
 An quia prada merces unguibus esse suis?*


Po-

Postumij Domus. 419.

*Hic ubi deiicit spatiosa palatia, & imo
 Strauit humo nitidas vasta ruina domos;
 Posturnius vixit latij's notissima Musis
 Progenies, Phœbi cura, Poësis Amor:
 [Atria conspicitis? plus hæc dilexit Apollo,
 Quam iuga Permessi diligat ille sui:
 Hic quondam fuerat sedes gratissima Vatum;
 Hæc stetit Aonidum, Castalidumque locus:
 Nunc æquata solo sunt omnia; fleuit Apollo,
 Musarum toto collachrymante choro.*

Ad Maledicum. 420.

*Accepit quondam Cæsar, Bruto auspice, fumus:
 Romulei docet id Curia sacra fori:
 Nunc ego vel Cæsar, te vindice, sentio funus,
 Qui fueras animo Brutus, & ingenio.*



K

Ne-

Nero de marmore. ¶ 421.

*Cernitis humanos spirantia marmora vultus?
Vixit in effigie fictilis ore Nero:
Nobilis hæc statua est, quoniam de marmore: toti
Par est exemplo copia tota suo.*

Ad Postumianum. 422.

*O qui nobilium de sanguine dicris ortus,
Et de Cæsaribus, Postumiane, veni:
Quos tibi porrigimus noli spreuisse libellos,
Hæc sunt obsequij parvula vota mei:
Principis officium est dare maxima: Principis ergo
Sit pariter grata sumere parva manu.*

Ad Aedificantes. 423.

*Quid iuvat aetheras ad sidera tollere moles?
Quid latè magnas explicuisse domos?
Vel sit par Orbi domus hæc, vel grandior Orbe;
Illa tamèn vestra est ambitione minor.*

Ad

Ad Amicum. 424.

*Ingenium es totus, non parvus Rhetor, Apollo
Alter, Musarum es hæud decus exiguum.*

Retrogradum. 425.

*Exiguum decus, hæud es Musarum alter Apollo,
Rhetor parvus, non totus es ingenium.*

Ad Marianum. 426.

*Qui Rhetor fueras, melior, Mariane, fuisses
Vel pecudum Rector, vel Mariane, suum.*

De Iulio. 427.

*Iulius exercet venalia iura, sed ille
Vtilior, coleret si sua rura, foret.*

Ad Ponticum. 428.

*Mappa tua mense sit sordida, Pontice, quamvis;
Iure tamèn dicam, candida mappa tua est.*

Ad Iulium de suis libellis. 429.

O laus Palladis, o decus Minerva,
 Noſtri Gloria, nobilis Lycæi
 Voluptas, Venerum lepos, Amorum
 Riſus, delictumque gratiarum,
 Iuli, carmina, candidosque luſus
 Legas Memnoſynon tui ſudalis,
 Legas, vipereo carent aceto
 Quotquot docta manus iocos reuoluet:
 Mel dicitur calamo, fauosque noſtro,
 Dulces ambroſias, ſalesque dulces
 Splendor Pegafidum, nitorque Phæbus.

Ad Lectorem. 430.

Qui nugis, lepidoque legis mea carmina multo
 Sparsa ſate, & multo carmina ſparſa ioco;
 Si placui, placeas, carpas mea carmina; ſed ſi
 Diſplicui, plandas carmina, diſpliceas.



Poet

Poetæ Epitaphium. 431.

Hic iaceo, fueram Patriæ qui gloria quondam
 Rara mea, Muſis clarus, & ingenio:
 Vix primos ſubij vita florentis Apriles,
 Cum ſecuit vita ſtamina Parca mea:
 Exiguus ergo noli priuare ſepulchrum
 Fletibus; ad cineres lumina mœſta gemant:
 Sic decorent tumulum poſt tēpora lōga Nepotes,
 Et cineres coniux defleat antè tuos.

Ad Metrodorum Poetam. 432.

Quid Metrodorus reſonant tibi, peſſime Vatium,
 Nomina, ſi calamo ferrea metra facis?

De Lucio. 433.

Lucius agrotat; caſu triſtamur acerbo;
 Ægrotaffe parum eſt; debuit ille mori.



K 3

Ad

Ad Postumum de Gallo. 434.

*Prædia Gallus habet quæ plurima; Postume, nosco;
Sed quæ Gallus habet prædia, non sua sunt:
Atria Gallus habet quæ plurima, Postume, nosco;
Atria sed pariter, Postume, non sua sunt:
Cornua Gallus habet quæ plurima, Postume, nosco;
Hæc sua sunt, dicas, Postume; nam sua sunt.*

Ad Papilum. 435.

*Quod Pistor fueras, vix credam, Papile, quando
Neve facis panem, Papile, neve vides.*

Ad Eundem. 436.

*Pistor es, & macer es, miramur, Papile; panem
Qui facit, haud vultu debuit esse macer.*

De Lælio. 437.

*Lælius ut sapiens turba iactatur in omni:
Plus tamen est nobis, scilicet insipiens.*

Ad

Ad Actium Medicum. 438.

*Eger eram, Mortis stabam propè limina; sed tu
Pulveris accipiam munera parva iubes:
Sic dicis quod sanus ero; sed falleris, Acti;
Pulvis enim tumuli funera nigra notat.*

Ad Iulium. 439.

*Et Pater, & Mater perijt cum coniuge proles:
Quid superest, Iulie tu moriari, velim.*

Ad Postumum. 440.

*Quid generat natura maris sub gurgite gemas
Postume? diuitia, cùm fluit unda, fluunt.*

Ad Paulum. 441.

*Cōtraxit mihi, Paule, pedū fors improba nervos,
Immisit morbum cruribus illa meis:
At mihi poscenti nil das pro munere: dicam
Quod cōtracta tibi est utraque, Paule, manus.*

K

4

Ad

Ad Lectorem de suis libellis. 442.

*Si nostros lepidos emes libellos,
Nugas voluere sapius memento,
Venustos capies iocos, salesque,
Et grates dederis libenter, atque
Habebis mihi maximas legendo;
Sed postquam labor opprimit, manuque
Pigebit, studiose Lector, ultra
Chartas voluere, supplices rogamus,
Custodi lepidos, bonosque lusus:
Quò mittam tamen, inquires? in ignem.*

Author suæ Patriæ alloquitur, quæ
flores facit in stemmate. 443.]

*O qua natales dederas mihi, Patria, Cunas,
Patria carminibus splendida facta meis,
Sume animos, attolle caput super athera: cedunt
Iam tibi belligeri mœnia celsa senis:
Romuleas arces non hinc invideris Orbi;
Plus etenim reliquis Urbibus una nites:
Magna tibi nostro de carmine Gloria venit;
Castalijs cedit fontibus unda Tybris:
At sis grata tamen, carpas de stemmate flores,
Et facias Vari debita ferta tuo,*

Ad

Ad Lectorem. 444.

*Legisses iam nunc, Lector, mea carmina: curis
A teneris tenerum Musa peregit opus:
Sed vetuit Fortuna nimis contraria voto,
Nec fuit exiguas qui tribuisset opes;
Macenas deerat, deerant sestertia, & aurum;
Virgilius quamvis natus in Orbe foret:
At nunc accipias lusus, nugasque reuolue,
Qui dederas Musis aurea dona meis:
Plura tamen legeres multo dignissima plausu,
Sed me Pauperies vexat, & una premit.*

Ad Ellium. 445.]

*Mentitur quisquis Mundum mare dixerit, Elli
Mundus enim monstrat nil habuisse salis.*

De Gellia. 446.]

*Cum pictam Venerem staret propè Gellia, dixi,
Altera depicta est, altera vera Venus.*

Ad

Ad Fabium.

447.

*Venator fueram, leues sequehar
 Per montes lepores, aprosque: nobis
 Mittis propterea, Fabi, pharetram;
 Sed pro muneribus Deos rogamus
 Quod tibi dederint, Fabi, pheretrum.*

Ad Sextum Poetam.

448.

*Sextus diceris, & Poeta: Musis
 Primus diceris, & Poeta nobis.*

Ad Paulum.

449.

*Edidit immeritò boletos Claudius olim,
 Et perijt; nec te funera, Paule, latent:
 Nunc tibi boletos grato pro munere mitto,
 Quid vellem pariter noscere, Paule, potes.*

Ad Dentonem.

450.

*Dentonem meritò dicunt te nomine, quando
 Dente solus versus dilacerare meos.*

De

De Fabiani Philomela.


451.

*Inclusam caueis volucrem Fabianus habebat,
 Qua Domino fuerat deliciofa suo:
 Manè dabat vario vocum modulamine cantus,
 Et matutino dulcius ore melos:
 Gaudebam tutis animis vicinus; abibat
 Ad sonitum luctus, tristitiaque dolor:
 Sed perijt tandem, lugemus funera; par est;
 Et sic qua dederat gaudia, dat lachrymas.*

De Eadem Epitaphium.

452.

*Qua modò sylvarū cecinit Philomela per ūbras,
 Heu scelus! hic mæsti funeris umbra iacet;
 Et qua sub caueis fuerat Sirenula cantu,
 Sub tumuli paruo marmore clausa gemit:
 Ab decuit! volucer quo tempore fata subiit,
 Debuerat Dominus fata subire suos.*



De

De Eadem. 453.

*Siste, hospes, tumulū spectā, paruumq; sepulchrū,
 Conseruat cineres hīc Philomela suos:
 Delicia Domino fuerat, mihi risus; utrique
 Nunc gemitus facta est, perpetuusque dolor:
 Dic igitur nimium crudelia fata, Viator,
 Quod mihi, quod Domino diripere iocos.*

De Viperiano. 454.

*Viperianus erat, lacerat mea carmina; sic est
 Vipera, qui nup̄er Viperianus erat.*

Ad Oratorem N. N.

De Beato Aloysio Gonzaga. 455.

*Quod lapidi similis fuerat Gonzaga, peroras;
 Et merita nobis cum ratione probas:
 Carnis ad illecebras, fœdique Cupidinis illius
 Immotum lapidem nouerat esse Venus.*

Ad

Ad Eunnium Orchi. 456.

*Orchi, anagramma, Hirco.
 Hirco es, id nōstrāt anagrāmata nominis, Eū-
 Hirco es, vxoris pessima facta docēt. (ni;*

Ad Iulium Pulcharelli. 457.

*Non Pulcharelli sunt debita nomina, Iuli;
 Sed Porcarelli nomina digna forent.*

Ad Cæcilianum. 458.

*Extinctos tantum laudas, veteresque Poetas,
 Et Vates carpis, Cæciliane, nouos:
 At noua, que scribis, laudari carmina velles;
 Sed pereas, laudes, Cæciliane, dabo.*

Ad Sabellium de Oschio. 459.

*Quarè palleat Oschius, requiris?
 Nobis inuidet Oschius, Sabelli.*

Ad

Ad Octaviūm. 460.

*Rexerat Imperio populos Octavius; Orbis
Hinc illum dignis laudat in historijs:
Sed tibi maiorem, Octavi, det Fama triumphū:
Moribus es tu Rex, ille sed imperio.*

Ad Marcum Seuino. 461.

*Si fortasè sitis cruciet tibi guttura; vinum,
Quod nomen monstrat, Marce, bibisse potes.*

Quidam librum in manu habebat, 462.

*Qui furtum licitum assererat.
Hic liber, illa manus mos est aequalis utrique;
Ille etenim furtum precipit, ista facit.*

Ad Marianam. 463.

*Quòd Veneris, Mariana, die sis nata; docemur
Quòd fueras vultu vel, Mariana, Venus.*

Ad Tuccam Fiano. 464.

*Cognomen resonat, nosco, tibi Tucca, Fianus;
Sed Ru coniungas, sic Rustianus eris.*

Ad

Ad Paulum Frangizero. 465.

*Carmina, Paule, mihi dederas, nūc sève requiris
An valeant? vel si displicueret rogas:
At quanti valuit cognominis ultima duplex
Syllaba, vix tanti carmina, Paule, valent.*

Ad Adm. Reu. P.

*D. Petrum Caualcante
Oratorem celeberrimum*

In templo SS. Petri, & Pauli. 466.

*Nomine par Petro tu, Petre, vocaris, & illi
Assimilas mores, officiumque tuum:
Alter Euangelij docuit sacra dogmata, & alter,
Laudat uterq; Crucē, laudat uterq; Fidem:
Prædicat ille Orbi Christi mysteria, & Orbi
Prædicat hic: Cæli monstrat uterque viam:
Illum Pontificem coluit pia Roma, mereres,
Sic te Pontificem vel pia Roma colat.*

Ad

Ad Eundem. 467.

*Petra Petrus fuerat, Christus qua desuper olim
Dicitur Ecclesia constituisse domum:
Tu pariter Petrus Petra es, qua desuper alti
Eloquij innixa est ingeniosa domus.*

Ad Eundem. 468.

*Hic ubi consurgit Cælo venerabile Templum,
Et stat Veridico Regia sacra Deo,
Farsareo steterant altaria mille Tyranno,
Et steterant stygijs Numina mille Dijs,
Sed postquam edocuit Petrus pia verba, fuerunt
Alta ruinoso diruta templa solo:
Nunc quoque tu Petrus nobis diuina peroras
Dogmata, & eloquio crimina fracta cadunt,
Attamen haud unum, sed centum altaria, centum
Templa aperit meritis Gloria, Petre, tuis.*



Ad

Ad Eundem. 469.

*Orbis Alexandrum quondam spectauit, & illum
Imperio sobolem credidit esse Iouis;
At nunc Parthenope spectat tua Verba, Minerve
Quod soboles fueras, credidit ingenio.*

Ad Adm. Reu. P. Thomam Strozzi
è Societate Iesu Oratorem val-
dè nobilem. 470.

*Quòd iugules, Strozzi, nosco, cognomina mōstrāt;
At mihi, quid iugules? explicuisse velis:
An iugulas Erebi dulci sermone cohortes?
An iugulas dictis crimina fœda tuis?*

Ad Eundem quòd prædicauerit supra
illud Memento Homo, &c. 471.

*Vnus diuino de puluere vixit Adamus,
Nunc animas animas puluere mille tuo:
Hinc possem dixisse (mihi si fortè liceret)
Quòd fuerat, Strozzi, te minor ipse Deus.*

L

Ad

Ad Eundem.

472.

*Serpentum furiosa lues, fœdissima pestis
Emoritur, iactò puluere, Stroze, doces:
Hinc didici sparsisse tuo de puluere carthas,
Inuidia poterunt sic quoque monstra mori.*

Ad Eundem.

*Debuerat tribuisse tibi sua nomina Thomas,
Nam parili fueras Angelus ingenio.*

[Ad Adm. Reu. Iacobum Lubrano è So-
cietate Iesu Oratorem optimum. 473.]

*Iacobus fueras, septem tua nomina claudunt
Literulas, constat, nec latuisse potest:
Literulas septem claudit quoque Tullius, illi
Sic totus par es nomine, & eloquio.*



Ad

Ad Excellentissimum Dominum GASPAREM DE
HARO, ET GUSMANO, Regniq̄ue Neapoli-
tani iustissimum, ac ter pijssimū Pro-
regem, quòd fratrem è laqueo vi-
decreti debito liberaverit. 474.

*Sanguineū facinus, crimēq; admiserat audax,
Qui mihi coniuncto sanguine frater erat:
Curia damnarat laqueo (miserabile fatum!)
Et dederant illum publica iura neci:
Lugebat lethum mater tristissima vultu,
Lugebat frater cumque sorore pater:
Vndique vel populus, vel plebs, vel nobilis ordo,
Irriguo lachrymas tristis ab ore dabat:
Interea Gaspar Princeps iustissimus Urbis
Infami fratrem vindicat è laqueo:
O miranda diu clementia Principis! illi
Dat vitam, cui mors debita pœna fuit.*



L 2

Ad

Ad Eundem, 475.
Quòd Parthenopem piam reddiderit.

*Parthenopen Asrea procul iam fugerat, illi
Iuncta comes fuerat Religiosa fides:
Vndique regnabant fraudes, & crimina passim,
Vndique vastarat sua rapina domos:
Te tamèn ut populus, Gaspar iustissime, vidit,
Religio redijt candida, crimen abijt:
Parthenope veteres posuit, te Principe, mores,
Et qua visa modò est improba, facta pia est.*

Ad Eundem quòd argenteas monetas
cudendas curauerit. 476.

*Visus erat mediã populus lachrymare per Vrbe,
Et plebs quòd nimium falsa moneta foret!
Hinc tua te Pietas mouit, liquare metallum,
Quo fieret populo iusta moneta, inbes:
Propterea lachrymas posuit, questusq; frequetes
Pauperies, gemitus nullus in Vrbe sonat:
Argentum populo dederas; simulachra merenti
Ex auro populus mox tibi mille dabit.*

Ad

Ad Eundem de eodem. 477.

*Iuppiter in plunium sese mutauerat aurum,
Credimus, id Vatum pagina sacra docet:
At nunc argenti nimius diffunditur imber,
Vidimus, id pietas Gasparis vna facit:
Iuppiter, & Gaspar quòd amèt sic mōstrat uterq;
Parthenopem hìc, Danaë diligit ille suam.*

Ad Innicum Caracciolo Archiepiscopū
Neapolitanum quòd Archiepisco-
palem Ecclesiam renouauerit. 478.

*Quae fuerant ruitura solo sacra templa, diuque
Sub tenebris steterant semisepulta suis,
En renouas, sumptuque pio meliora resurgunt,
Et duce te, vultu nobiliore nitent:
At quid reddiderit tanto pro munere Caelum?
Romulei Imperij debita sceptrà dabit.*



L 3

De

De Eodem. 479.

*Innicus est Praesul, monstrant sua nomina: Caelū
Exemplo nobis indicat ille suo.*

De eiusdem obitu. 480.

*(bra est,
Vixit, at in tumulo nunc clauditur Innicus; um-
Et pulvis, nostra qui fuit Urbis honor :
Hinc discat quisquis legit hac : mors omnibus
aqua est;
Nèue illam retinent sceptrā, nec Imperia .*

Ad Parthenopen de eiusdē obitu. 481.

*Parthenope, lachryma, mæstis refuētibus undis,
Nec tua funereus deserat ora liquor :
Innicus occubuit, sed fallor; tu ipsa peristi ;
Namque, aleret qui te Religione, obijt.*



Eius.

Eiusdem Epitaphium. 482.

*Vivit in effigie, quam spectas, Innicus, Hospes ;
Augustos vultus nobile marmor habet:
Antè diem tumultumq; sibi, mæstumq; sepulchrū
Condiderat nigri funeris ille memor:
Vidit Olympiades plures, & Iustra: senectus
Sparserat hinc niuibus, sparserat inde comas;
Vix incedebat languenti corpore : vires
Exigua, exiguus robore sanguis erat:
Gutta illū necuit tādē, perijt que; sub urna hac
Nunc iacet, & recubant ossa, miserque cinis:
Parthenope mortem luget, latè que per Urbem
Nemo potest lachrymas continuisse suas:
Et Rectum, & Pietas obijt, morumq; Magister,
Exemplar populi, maxima norma senum.
Vndiq; stant lachrymae: sic parvula gutta dolorū
Parthenopen tristi mersit in Oceano .*



L 4

Ad


De Sanguine Diui Ianuarij, qui obdu-
ruit antè Innici funus. 483.

*Saxeus in vitreis phialis sine motibus ullis
Præfulis obduro sanguine sanguis erat :
Causa latet: lachrymât ciues, Vrbs ingemit om-
In populo tristis luctus ubique sonat: (nis:
Prædicunt alij bellum, pestemque, famemque;
Prædicunt alij funus, & excidium:
Sed frustra: causa est vna hæc verissima: funus
Præsentit magni Præfulis ille sui.*

Ad Paulinum. 484.

Quodd Sepulchrum quadrangulum sit.

*Quattuor in partes factū est, Pauline, sepulchrū,
Et partes partitèr quattuor Orbis habet :
Nā quotquot viuunt, vel quot vixere per Orbē,
Aut paruo in tumulo sunt cinis, aut fuerint.*



Ad

Ad Reuerendiss. P. Antonium Auerfa-
na de Anuerfa ex Ord. Min. Conu.
Præpositum Generalem. 485.

*O Decus Ecclesia, Fidei munimen, & ultor,
Hæreseos Victor, Persidiæque timor ;
Ingenuo subiecta tuo sunt omnia, noscis
Omnia, nène aliquid te latuisse potest:
Tartarei Regni furias effrangis, & ausus,
Armatus calamo, Religione pius:
Pestiferum toto iam crimen ab Orbe fugasti
Consilioque potens, Iudicioque potens:
Hinc tua sublimis sublimia præmia Virtus
Obtinuit, paruo tempore maior eris :
Tantus honos animos nostros exscindit, & auxit;
En Fidei Vindex bella vel ipse gero :
Horrescunt hostes latè resonantibus armis,
Me cingit telis maxima turba suis,
Desperanda mihi penè est Victoria : paruus
Est animus, Clypeus debilis, atque rudis:
Sed tu præsidium mihi sis, & nobile robur,
Antoni, & vires suffice, & ingenium:
Stet pro me Taurus pictus sub stemmate cornu
Magnanimus, nostra est Laureæ, Victor ero.*

Ad

Ad Adm. R. P. Petrum Antonium Alexandrino Sacrum Oratorem. 486.

*Magnus Alexander tibi dat cognomina, miror;
Nil etenim par cum milite Rhetor habet:
Iste manu calamus tractat, dulcesque papyros,
Ille sua gladium tractat, & arma manu;
Magnanimus Miles populos expugnat, & urbes;
Ore homines mulcet Rhetor, & Eloquio:
Sed par nil habeat quamuis cum Rhetore Miles,
Sit dispar fandi Laurea Militiæ;
Nomen Alexandri tibi conuenit attamen, ille
Est gladio, sed tu maximus ingenio.*

Ad Adm. Reu. P. Philippum Setaiolo, quòd fenex sit, & eloquens sit. 487.

*Audiui: miranda tibi est Facundia linguæ;
Obstupui ingenium, doctæ Philippe, tuum:
Sis licet & longo senio confectus, & cæuo,
In te Religio floret, & Eloquium.*


Ad

Ad Eundem quòd Christum Dominum in alto deserti culmine descripserit. 488.

*Monstrasti nobis alto sub culmine montis
(Adfueram, audiui feruida uerba) Deum:
At mecum tacitus, sit mors altissimus, inquit,
Ille tuo nunquam est altior ingenio.*

Setaiolo. 489.

*Quattuor est totus diuisus finibus Orbis,
Dat tibi cognomen syllaba vel quadruplex:
Scilicet & famam nomenque tuosque triumphos,
Cum Rhetor sis, pars qualibet Orbis habet.*



Ad

Ad Eundem quòd quasi totam Parthenopem ad se eloquio traxerit. 490.

*De Cruce pendebat stillanti sanguine Christus,
Latè unum toto corpore vulnus erat,
Ad se Latronem traxit, qui proximus illi
Adstabat noxis sordidus, & scelere:
Nec miror, miror sed te, tua verba stupeſco,
Et iunctam nimia cum Pietate Fidem:
Ad te Parthenopen totam trahis, undiq; gēs est,
Quam tutam ex Erebo reddis, & incolumē.*

Ad Eundem quòd pietatem in Auditorum animis imprimeret. 491.

*Fulminat Eloquio tua fernida lingua, videtur
Parthenope crimen deposuisse suum:
Reddidit Augustus Romam de marmore, sed tu
Parthenopen reddis Religione piam.*



Ad

Ad Adm. Reu. D. Laurentium Guarnerij quòd Emanuelis Aluari Grammaticam ex Latino in Italicū idioma cum additamentis transmutauerit. 492.

Alludit Author ad eius Patriam, quæ Ciuitas fuerat, sed populi disſentionibus nunc Terra est.

*Vrbs celebris fuerat, sed nunc tua patria Terra
Lis illā populi degenerasse facit; (est,
Sed fuerit mox illa eadem ter dignior Orbi,
Et sibi nobilius surget ad astra decus:
An dubitas? credas, dicunt presagia verum,
Et verum Vatis docta Thalia docet;
Nā quod scribis opus per secula vinere dignū,
Et quæ condideras Grammatica docta nimis
Maiorem facient, reddentq; vel Urbibus illam,
Et, te Cine vno, cedere Roma potest.*

Ad

Ad Adm. R. D. Benedictum Monachet:
ti quod in Templo Neap. D. Au-
gustini Doctorali Theologiæ
laurea initiatus sit. 493.

*Par Augustino confurgit nobile Templum
Hic, ubi sumpta tibi est non sinè laude toga,
Ille sua patriæ Decus est, & Gloria, sic tu
Accedis patriæ gloria magna tuæ:
Ingenio, & mente Augustinus floruit, illi
Ingenio quasi par crederis esse tuo:
Monstra ille Ecclesiæ, Fidei confrēgit & hostes,
Livorem sed tu vincis, & Invidiam.*

Ad Charinum. 494.

*Cum fratres habeas, Charine, auumque,
Et mater tibi sit, Charine, & uxor,
Cur togas alijs, Charine, donas,
Et fufas tyrio colere vestes?
Hic, inquam, dolus est; Charine, & hamo
Piscari cupis aureo, sed erras:
Cantos non capies, Charine, pisces.*

He-

Helenæ Cornariæ Piscopiæ
Nobilis Venetæ
Epitaphium. 495.

*Hic Helena cineres clauduntur, & ossa, Viator;
Pulchra urna est, animo pulchrior illa fuit:
Claruit & græco, & latio sermone: Poësim
Edidicit, Musas nouerat una nouem:
Prodigium Venetis visa est, mirabile monstrum;
Nec Cicero sapuit plus, nec Aristoteles:
Et docta, & Virgo ciues superauerat omnes
Dotibus ingenij, iure Pudicitia:
Florebat teneris annis, viridique iuuenta,
Nondum sædærat prima senectæ comas,
Cum perijt, parcis fatoque iubenibus; astra
Ascendit, nituit moribus illa nimis:
Troïâ Helena in flâmis imersit, & Ignibus; urbē
Hac Venetâ in fletu mersit, & in lachrymis.*



Ad

Ad Parthenopem de admirabili
D. Ianuarij sanguine. 496.

O Caput Ansonia, Mundi Regina, Sicani,
Parthenope, Plausus, Deliciaeque soli;
Eternas capiti fortunatissima lauros
Necte, triumphali pollice tange Lyram;
Plaudes, nec hostiles timeas exterrita gentes,
Nec turbent animos vlla pericla tuos:
Tuta satis, sunt firma satis tua moenia, Muris
Praesulis è sacro vertice sanguis adest,
Hic fugat aduersas fido tutamine turmas,
Hoc duce, quae surgunt bella, refracta silent;
Hic domat enomitos astus, bacchante Vesueo,
Hoc duce, victa olim fleuit, acerba lues:
Da voces, itera plausus, festosque triumphos:
Praesidium iam te, quo tuearis, habes:
Praelia, Parthenope, tibi si commouerit Orbis,
Hoc vno inspecto sanguine, fractus erit.




De

De Eodem. 497.

Fabricat Alcides geminas sub Sole Columnas,
Oceanò quae sint vltima meta maris,
Erigit en geminas phialas de sanguine Praesul,
Perfidia iam quae meta suprema forent:
Confer opus, Siren, utrumque expende laborè,
Dixeris, Alcide, Gloria fracta tua est.

De Capite, & Sanguine
Diui Ianuarij. 498.

Hoc Caput, ille Cruor magnum Sirenis utrūq;
Prodigium, cui par saecula prisca silent;
Nunc Caput aduerso turbatur sanguine, (mirū!)
Et quae sint Patriae fata sinistra canit;
Nunc Cruor obdurus, populo spectante, liquefcit,
Et quae sint Patriae Gaudia certa notat:
Cetera si spectes Orbis miracula, maius
Hoc vnum, Siren, dixeris, Orbis habet.



M

De

De Diuo Ianuario . 499.
 Quòd Neapolim à peste vindicauit.

*Parthenopen exorta Lues infecerat Urbem,
 Fuderat inque omnes atra venena domos:
 Corpora languabant passim tabentia morbo,
 Quò quò vertebas lumina, funus erat:
 Intercà sacra qui stabat in aede, cruorem
 Opposuit, Præsul, Cinica turba tuum:
 Sic victa est malefana Lues: ò nobile factum!
 Fert cruor extincti Præsulis auxilium.*


Ad Iulium de Fabulla. 500.

*Expolita comas, genasque, & ora
 Satis culta nitet Fabulla, Iuli,
 Sed quare id faciat, rogas? docebo:
 Amari capit, & cupit wideri.*

F I N I S.

TYPOGRAPHI ADDITAMENTVM.





Adde hic in operis calce

Per Illustris Domini, & Amici

D. FRANCISCI ANTONII IACOBINI

Epigrammata quadam

Ingeniosa quidem, & non contemnenda;

Quæ sunt hæc;

Epigr. I.

Laudat Illustris. D. HIERONYMVM DE

NIGRIS Urbis Venetæ Residentis

filium optimum

Quod Elegiam quandam scripserit, cui titulus

CHRISTVS ORIENS.

Cum allusione ad eius stemma.

Luminibus geminis ardentia fulmina vibras,

Claraque Castalidum flumina ab ore fluunt;

Et si stellarum formoso stemmate fulges,

Plus fulges oculis carminibusque tuis:

Eos Reges traxerunt sidera, sed tu

Nos trahis & vultu, nos trahis ingenio.

In eiusdem
Illustrissimi D. Hieronymi
laudem sic Ego.

*Pulcher es, & Vates, dulcissima carmina scribis,
Nobile diuino spargis ab ore iubar: (bus
Hinc dicā, & meritò quod sis, Hieronymè, Phœ-
Quaque nitens vultu, quaque canēs calamo.*

Epigr. 2.

Illustris. Marchionem D. Alexandrum
Raimundum cum Alexandro Magno
comparat.

*Quid iactas habuisse tuis sub legibus Orbem
Magnus Alexander? vinceris Imperio:
Alter Alexander gaudet moderamine mentem
Et regere, atque animo ponere iura suo:
Iam cessisse potes: docet aurea fama per Orbem
Imperio te homines, hunc superasse Deos.*

Cui Ego sic adieci

Ad eundem Marchionem.


*Vicit Alexander populos, sibi maxima fama est,
Maior Alexandro Victor es ipse tui:
Franciscus Musis, & carmine laudat utrumque,
Franciscus calamo maior utroque suo est.*

Epigr. 3.

Epigr. 3.

Innici Cardinalis Caraccioli mortem
deflet.

*Quomodo, Pauperies, heu, sic deserta manebis,
Plura dare haud poterit si tibi chara manus?
Quomodo, Parthenope, sic desolata iacebis,
Si iacet extinctus, qui tibi lumen erat?
Quomodo, grex, poteris Sabethi viuere ad un-
Si bonus ad Cæli sidera Pastor abit? (das,
Virtus omnis abit, Pietas remeant ad astra,
Canaque cum vera Religione Fides,
Omnia collachryment, mæstus super aethera cla-
Tēdat, nulla adsint gaudia, nulla quies; mor-
At quid? sit procul à nobis dolor omnis, & ater
Luctus: Da, Siren Parthenopea, melos:
Angelica en Musa celebrant, quæ plangis, in alto
Heroem, alternis exhiberata cane:
Alternis modulare; solo si viuus in imo
Protexit, melius proteget ille Polo.*



M 4

Cui

Cui ego sic:

*Quæ mihi misisti, legi tua carmina, laudò
Et calammum tanti Vatis, & ingenium;
Præsulis extincti describis funera; deflent
Iacturam Pietas, Religioque Fides:
Ultima carminibus qua scripta est dictio, laudes
Non capit, Antoni, quas tua Musa meret.*



An

Author tandem ad Lectorem.



RIA postremò hîc, Lector,
advertas, rogamus; pri-
mum est quòd quæ scrip-
simus pro genio scripsi-
mus, nec personarum
demeritum ex vitijs, nec earundem im-
pietatem ex moribus aspeximus, sed ani-
mo dumtaxat, Musisque, & salibus sa-
tisfecimus; proindè si quem fortassè
dilaceratum nostro carmine agnove-
ris, nè putes quòd aliorum famam, aut lu-
sibus deridemus, aut calumnijs denigra-
mus; hoc enim alienum semper habui-
mus à nostris pagellis, à nostris nugis, &
iocis; Nec prudentis est aliorum rubo-
re sibi gloriam comparare: Alterum
est quòd si quæ inveneris vocabula aut
parum consona Romanis, purgatisque

Sa-

Sapientum auribus, aut quæ animis pudicis, pijsque aliquantulum displiceant (quod quidem vix credo futurum) nè putes Authorem insipientem, vel impudicum; nam voces quædam pro argutiarum necessitate, quædam aliæ pro animi hilaritate in opere hoc exiguo, & nullius prorsus momenti positæ sunt, & immixtæ: nec ab re, Lector, leuiæ quædam, & risum vel Herachito mouere apta passim perlegeris; sic enim & iuuenili ætati magis consultum esse putauimus, & Curis, quibus angimur quotidie, & excruciamur quammaximè; Nec urbanum est rigido semper, ac seuerò vultu Catonem effingere, præsertim cum ad amicos (quos hic sub fictis personarum imaginibus venustè abscondere visum est) alloquimur, vt tristes animi ægritudines iocis aliquantu-

lùm

lùm eleuemus: Tertium, & vltimum est quòd errores, quorum & alios subitùs adiecimus, & alios tuo iudicio castigandos reliquimus: excuses velis, nec tanquam Aristarchus dente illos dilaceres, aut Zoilus reprehendas; effluxerunt enim partim ex inaduertentia, partim ex ingenij celeritate, quæ vel maximos viros non parùm sæpè sapiùs obscuravit; Quod equidem effeceris, vt arbitramur, si probus fueris, & prudens, vel agnoueris, quòd error humano animo innatus sit, & ingenuus, nec vllus vnamquam adhuc extitit ex ijs omnibus, qui literarum exercitationibus nocte, diuq; impallescunt penè exanimis, qui aliquandò non errauerit inconsultò: Vale, & tuere.

IN-

INDEX ERRORVM

Cum suis Castigationibus.

Error 1.

Ex pag. 11. epigr. 19.

Apposui? nobis, Caciliane, rogas?

Castigatio

Apposui? à nobis, Caciliane, rogas?

Error 2.

Ex pag. 11. epigr. 31.

Propterea queritur, mittit suspiria Cælo,

Castigatio

Propterea queritur, mittit suspiria Cælo,

Error 3.

Ex pag. 28. epigr. 80.

Diceris Alcidi quòd par sis robore, nosco:

Castigatio

Diceris Alcida quòd par sis robore, nosco:

1634

Error 4.

Ex pag. 24. epigr. 85.

Dimidiam fratri, dimidiamque socio:

Castigatio

Dimidiam fratri, dimidiam socru:

Error 5.

Ex pag. 91. epigr. 267.

Causa tamèn tanti sceleris lethique requiris?

Castigatio

Causa tamèn tanti sceleris lethique (requiris?)

Ad Lectorem.

Sic tandem finem posuit mea Musa libello;

Volue iterùm, placuit si tibi, Lector opus;

Sed si displicuit, lacera, vel deijce in ignem;

Sic alter discet doctior esse liber.